

SPICILEGIUM

ROMANUM.

SPICILEGIUM
ROMANUM.

TOMUS III.

SS. MM. CYRI ET IOHANNIS LAUDES ET MIRACULA LXX.
SCRIPTORE S. SOPHRONIO,
INTERPRETIBUS BONIFACIO CONSILIARIO
ET ANASTASIO BIBLIOTHECARIO.
S. PETRI ALEXANDRINI VITA
EODEM BIBLIOTHECARIO INTERPRETE.
FRAGMENTA THEOLOGICA PRISCORUM AUCTORUM
EX CODICIBUS ARABICIS ET SYRIACIS.
HENRICI VIII. R. A. EPISTOLA ADVERSUS LUTHERUM.

ROMAE
TYPIS COLLEGII URBANI
M. DCCC. XL.

EDITORIS PRAEFATIO.

Ecclesiasticorum patrum scripta, praesertim apprime orthodoxorum, typis imprimere, religionis plurimum interest: sunt enim thesauri totidem in sacro aerario locandi, unde postea pro variis ecclesiae usibus aut necessitatibus depromi queant. In his haud postremum, ut puto, locum occupat Sophronius patriarcha hierosolymitanus, qui vitam sanctis operibus, et religiosis scriptis insignem, circa annum Christi DCXL. pie clausit. De libris ab eo relictis, multi multa pro re nata dixerunt, neque tamen nonnisi pauca lucem sparsim aspexerunt, ut ipse dixi in praefatione T. X. Script. vet. p. XXIV; quo in loco consilium meum patefeci colligendi cunctas sancti viri lucubrationes, atque in primis edendi historiam beatorum ·MM· Cyri et Iohannis, ac patratorum ab iisdem miraculorum; quam nunc fidem denique libero.

Thaumaturgicam SS. Cyri et Iohannis historiam a Sophronio nostro fuisse conscriptam, dicit in primis ipse auctor in protheoria, et in laudibus, atque in postremo miraculo, et demum in epigrammate quod de sua vita conscripsit p. 95, cui mox adstipulatur iatrosophista Seneca in tetrasticho. Graecorum insuper Menaeum ad diem martii undecimam sic: Σωφρόνιος τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπί-

χυσιν παθόντας, ὑπὸ τῶν ἁγίων Κύρου καὶ Ἰωάννου θεραπεύεται, καὶ τῆς ἰατρείας ἀπαιτεῖται μισθὸν τὰ καθ' ἑκάστην παρ' αὐτῶν τελούμενα θαύματα γραφῇ παραδοῦναι: *Sophronius oculorum caliginem patiens, a sanctis Cyro et Iohanne sanatur, qui loco mercedis pro valetudine reddita ab eo postulaverunt, ut miracula per eos quotidie patrata scripto traderet* (1). Item nicaenae secundae synodi patres,

(1) In hoc eodem Menaeo (edit. Venet. an. 1820.) de patria Sophronii sic habetur: οὗτος ὁ μέγιστος τῆς ἐκκλησίας φωστὴρ, χώρας μὲν ἔφυ Φοινίκης Λιβύας Στεφάνου, πόλεως δὲ Δαμασκοῦ, εὐσεβῶν καὶ ὁμοφρόνων τέκνον. Nunc mendosum hoc Λιβύας Στεφάνου corrigitur ab ipso Sophronio in epigrammate de vita sua p. 95. Λιβανοστεφάνου, quam apparet fuisse libanensem regionem, in qua urbs Damascus. Errat quoque diverso modo Menaei latinus interpres apud Bollandianos mart. T. II. p. 72. *Hoc maximum ecclesiae sidus ex Phoenice thurifera, urbe Damasco, originem traxit, piorum et frugalium soboles parentum.* Prior error est *thurifera*, propter aequivocum vocabulum λίβανος quod *thus* et *Libanum* significat. Alter error est *frugalium* pro *concordium*, quia lat. interpres perperam legit σωφρόνων pro ὁμοφρόνων. Insuper ex Menaeo cognoscimus, Sophronium abundantioris eruditionis philosophiaeque cupidum Alexandriam se contulisse; cuius itineris causam modestiae causa Sophronius in postremo miraculo patefacere noluit. Iam quod Petrus parthenopensis apud nos p. 648. dicit Sophronium oriundum ex *urbe Phenea*, placet mihi nunc sententiam meam ibi reformare, ut verba ἐκ χώρας Φοινίκης perperam intellecta atque explicata putem a Petro *ex urbe Phenea*, pro *ex Phoenice regione*. Item in mendoso apud Sophronium vocabulo p. 95. et 648. ἐν αἷς vel ἐναῖς, nihil aliud latere iudico, quam verbum substantivum. Interim vero, si placet, addatur geographorum libris novum nomen libanotidis regionis *Libanostephanus*.

et S. Iohannes damascenus testimonia pro sacrarum iconum honore ex sophroniano hoc opere protulerunt, ut nos infra adnotavimus pp. 18. 380. 403. Iam Bonifacius consiliarius priora duodecim a Sophronio conscripta miracula, fecit latina; Anastasius autem bibliothecarius reliqua omnia, cum protheoria laudibusque, nec non utrâque sanctorum historiâ, ut in sequente volumine demonstramus p. 226-229. Denique Petrus parthenopensis, praeter quam quod SS. Martyrum historiam marte proprio in compendium redegit, primum quoque et postremum miraculum ex Sophronio nominatim interpretatus est, ut p. 669. diximus; haecque scripturae in vat. lat. codice 6075. habentur, unde eas extulissemus, nisi secundi tomi moles satis iam excrevisset, et nisi propemodum supervacaneae post Anastasii lucubrationes visae fuissent.

Nunc de graeco exemplari dicendum est, quod nobis praeclarum hunc et copiosum genuinumque Sophronii foetum suppeditavit. Is est vaticanus codex 1607, membraneus saeculi XIII, qui olim fuit in Cryptae ferratae monasterio, ut eius adhuc inscriptio testatur, et a me in autumnalibus feriis anno M·DCCC·XXXVIII· observatus fuit; pretiosum sane κειμήλιον, in quo unice sophronianum hoc monumentum superesse credo; huncque ipsum romanum codicem a Bollandianis ad diem XI. martii designari puto his verbis: *insigne de SS. Cyro*

**

et Iohanne volumen Alexandriae a Sophronio scriptum ; quod ad XXXI. ianuarii, quo die sancti isti coluntur, frustra desideratum, et perisse creditum, feliciter reperimus in romano itinere nostro, et quidem utrâque linguâ, servamusque ingentis thesauri vice, suo tempore proferendum ; id quod postea extincta Societate, et interrupta Actorum SS. editione, non est effectum. Atque illud bollandianum apographum utrum uspiam supersit, equidem ignoro ; quominus id tamen ex utroque vaticano codice graeco atque latino, de quo pariter mox sum dicturus, derivatum fuerit, nullus dubito.

Post inventum graecum exemplar, latinam quoque coepi vestigare priscam interpretationem, cuius item Bollandiani non solum meminerunt, verum etiam specimen impresserunt, quin tamen eius esse auctorem Anastasium suspicarentur. Ecce autem is quoque textus inter vaticanos latinos codices sub numero 5410. mihi se obtulit. Est vero hoc antiquioris codicis, de quo paulo post dicam, apographum, ut praevia F. Peniae inscriptio declarat : *S. Sophronius archiepiscopus hierosolymitanus de laudibus et miraculis SS. martyrum Cyri et Iohannis. Habetur manuscriptum in archivio ecclesiae S. Mariae in via lata de Urbe ; ex quo Franciscus Penia Rotae auditor hunc codicem transcribi curavi, anno iubilaei ·M·DC·* Immo et alterum apographum, sed paulo

negligentius confectum, et cum Petri parthenopensis eiusdem tituli opere confusum, in vallicelliana bibliotheca observatum a me fuit.

Iam tanti operis visis apographis, consequens erat ut ipsius autographi cupiditate tenerer, quod extare in archivio S. Mariae in via lata non unus Penia dicebat, verum etiam Aringius qui Rom. subterran. lib. II. 21. translationem reliquiarum SS. Martyrum Alexandriâ Romam, ex eodem codice S. Mariae in via lata transcriptam vulgavit; et denique magnus Baronius, cuius in notis ad martyrologium die 31. ianuarii haec verba sunt: *translationis historiam extare ferunt in codice pervetusto diaconiae S. Mariae in via lata.* Haud vidit ergo Baronius codicem, sed famae tantummodo referenti credidit. Ego vero his cognitis, et Peniae potissimum adfirmationi confisus, recta ad archivium S. Mariae perrexi, in cuius ego urbana paroccia habito; quod mihi sane universum benigne Canonici reseraverunt; sed ad codicem quod attinet, frustra fui; prorsus enim ibi non comparet; nullumque esse in vivis Canonicum mihi adfirmarunt qui eum suis oculis uspiam viderit: quare ipsi putant, eumdem longo abhinc tempore fuisse sublatum, vel casu aliquo pessum datum. Litterarium hercle damnum non contemnendum! agitur enim de codice qui sub Innocentio ·III· PP., anno ·MCCIII· conscribebatur, ut dixi p. 670; quique anno ducentesimo nonagesimo

octavo supra millesimum, sub Bonifacio ·VIII· PP. Canonicorum iussu religatus reparatusque dicitur, teste iterum Peniae apographo, in quo iam nos acquiescere necesse est.

Sequitur ut de narratione translationis reliquiarum SS. MM. Cyri et Iohannis Alexandriâ Romam dicatur; quae quidem narratio in graeco codice nulla est, neque esse potuit, sed latine perscripta extat in calce codicis S. Mariae in via lata, unde eam divulgavit, ut dixi, Aringius, ego vero ut cognitam et a Sophronii calamo alienam praetermisi. Indidem quoque derivatae adamussim sunt lectiones officii ecclesiastici, ad priscum usum illius cleri, quas Martinellus recitat (1). Translationis autem narratio sic incipit. *Temporibus Honorii et Arcadii, qui religiosissimi imperatores fuerunt, sancto Innocentio papa existente, beatissimorum martyrum corpora abba Cyri et Iohannis a catholicis duobus monachis, scilicet Grimaldo et Arnulpho, translata sunt, videlicet ab Alexandriae civitate usque ad urbem Romam. Erat autem illo tempore inter Sarracenos et civitatis Alexandriae incolas dissensio maxima, usque adeo quod ipsi barbari cum perfidia magna super Alexandriae civitatem equitaverunt. Postea vero undique tam maximum ingerentes bellum, quod ad ultimum procul dubio*

(1) *Primo trofeo della S. Croce, eretto in Roma nella Via lata p.* 111.

superata est. Pergit relator dicere, quod sancti Martyres praedictis monachis per somnium apparentes, imperaverint ut suas reliquias Romam transferrent, ne eas barbari capta mox Alexandria, flammis exurerent. Cui monito monachi obtemperantes beatorum virorum corpora Romam transtulerunt, et deducentibus pompam Innocentio Papa cum Cardinalibus atque Praelatis, eadem deposuerunt in sacra illa S. Praxedis aede, quae in regione transtiberina, via portuensi, sita est. Age vero quis protinus non agnoscit crassum relatoris errorem, omni temporum scientia destituti, scribentis scilicet imperatores Honorium et Arcadium pro Heraclio, et Innocentium papam pro Honorio? Etenim sub Caesaribus fratribus atque Innocentio nulla fuit a Saracenis Aegypti occupatio, sed ea demum contigit anno Heraclii XXV, Honorii papae nono, Christi DCXXXIV, ut Baronius aliique ostendunt. Praeterea quo tempore conscribebat Sophronius historiam suam (nempe intra annos DCX et DCXX, ut p. 129. demonstravi) corpora sine dubio Cyri et Iohannis in templo suo apud Menuthem in Alexandriae vicinia quiescebant, et totius orbis concursu colebantur, ut centies Sophronius dicit. Superest igitur, ut gravi emendato latini relatoris errore, translationem illam saeculo Christi septimo, sub ipsam Alexandriae captivitatem, anno circiter Heraclii XXV, a Grimaldo (seu Grimoaldo) et Ar-

nulfo monachis factam credamus. Nam et Grimoaldi nomen circa id tempus de militum ducibus principibusque non semel legitur. Certe quidem de sanctorum corporum ex Aegypto Romam translatione, minime est dubitandum. Etenim et Iohannes diaconus Vit. S. Greg. M. lib. IV. 91. basilicam tiberinam memorat SS. Cyri et Iohannis sub Benedicto (II.) pontifice, saeculo septimo; et illa reapse superest trans Tiberim sacra aedicula S. Praxedis, quam supra memoravi, quamque egomet nuper adii, vineis obsitam, et cultu paupere instructam; cuius in hypogeo, post ostium iamdiu muro obstructum, picturas a Martinello loc. cit. descriptas spectare nunc non licet, immo eas madore ac situ deletas suspicor: attamen per fenestram epigraphem adhuc introspicere potui, priscis litteris marmori incisam, et antiquariis non incognitam, quae ita se habet:

Corpora sancta Cyri renitent hic atque Iohannis,
Quae quondam Romae dedit Alexandria magna.

Praeter hactenus memoratam SS. Martyrum integram historiam, quae graece in codice Cryptae ferratae, latine autem in exemplari S. Mariae in via lata conservata est; alia insuper extiterunt quasi operis compendia aut excerpta, veluti illud non ita breve cum miraculis quindecim ab Othone Zylio latinitate donatum, et in bollandianis Sanctorum actis T. II. ianuarii editum. Item ut iam dixi Petri parthenopensis scriptum, quod in

sequente volumine imprimendum curavimus: qui tamen auctor, etsi duodecimo Christi saeculo desinente vel proximo incipiente scripsit, translationem sacrorum corporum adhuc ignorabat. Est rursus SS. Martyrum diversa passio in codice vetere S. Mariae ad martyres, nunc vaticano. Denique et alia Martyrum horum acta graece et latine in vat. codicibus legere memini, quae omnia ex sophronianis fontibus derivata videntur.

Expectabunt fortasse lectores sive de graeco textu sive de latino iudicium nostrum, quod tamen ab editore proferri minime oportet, postquam res ipsa in publico lumine exposita est. Utinam certe melior Sophronio aut politior interpres obtigisset! Etenim tam Bonifacius, quam ipse Anastasius impedita admodum, subobscura, et interdum semibarbara locutione fluunt. Neuter utique graecam linguam non callet, immo verbis uterque presse insistit, quamquam ipsam sensuum genuinam vim haud raro vel ignorat vel pervertit, et omni semper lepore caret. Ego vero quid agerem? Manus ne tam priscis interpretibus vel medicas vel violentas inferrem, ut eos corrigerem, variarem, interpolarem? Minime gentium. An omnino ipsos omitterem vel abiicerem, novumque textum pro nostri saeculi gustu adornarem? Ne id quidem mihi persuaderi passus sum, ut neotericam scilicet interpretationem, quantumvis lucidam ac politiorem, his quae vetustatis au-

ctoritate aut colore commendantur praeferrem. Ecce enim, vetustis textibus ita a me conservatis, tres veluti pro uno habemus auctores, Sophronium, Bonifacium, atque Anastasium.

Quamvis autem Sophronii scriptum historici generis sit, attamen ne dogmatica quidem utilitate et gravitate caret. Nam pp. 394. 413. 437. corporis Domini in eucharistia praesentiam constanter adfirmat: in liturgico commentario (volum. seq. p. 33.) commutationem quoque seu transubstantiationem panis ac vini in corpus ac sanguinem Domini disertis verbis edicit: *μηδεὶς δοκείτω ἀντίτυπα εἶναι τὰ ἅγια τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, ἀλλὰ τὸν ἄρτον καὶ τὸν οἶνον πιστευέτω προσφερόμενον μεταβάλλεσθαι εἰς σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ.* Quod ii velim haeretici considerent, qui publicas quoque poenas suis edictis ac legibus adversus catholicos transubstantiationis adsertores decernere non sunt veriti. Praeterea in multis miraculis oppugnat Sophronius diversos temporum suorum haereticos, severianos nimirum, iulianistas, theodosianos, fatorum observatores, ethnicos, blasphemos, atheos, nempe miraculo XII, et a miraculo ferme XXVIII. usque ad XXXIX. Neque laude carent eruditionis, quae ex Porphyrio p. 321. recitat; item quae p. 548. sqq. de Damasco eiusque civibus doctis, ac potissimum de Nicolais dicit. Denique Sophronium lectores pervenustum quoque poëtam ex eius longiusculo epigrammate p. 95,

multoque magis in seq. volumine ex mellitis eiusdem anacreonteis intelligent.

EPIMETRUM.

Quamquam in subsequente volumine de novis aliquot S. Sophronii scriptis locuturus sum, hoc tamen loco non incommodum est, unum ex his commemorare, quod in graeca quidem bibliotheca non recenset Fabricius, sed tamen nuper a Pithoeo didici, in quem casu incidi, qui in historica synopsi corpori iuris canonici praeposita scribit inter ceteres canonum collectores Sophronium patriarcham hierosolymitanum, cuius collectionem quandam ex synodis extitisse ait aetate sua in bibliotheca Reginae Galliarum. Quantum vero aut cuiusmodi id opus fuerit, silet Pithoeus, atque ego a gallicano codice absens divinationibus indulgere vix ausim. Ecce tamen in codice vat. brevem quamdam Sophronii nostri scriptiunculam reperi *de peccatorum confessione* (sic enim cum Cangio interpretor titulum περὶ ἐξαγγελιῶν) ubi vir sanctus urget, quantopere oporteat, ut is qui peccatorum confessiones a paenitentibus excipit, morali canonicaque doctrina instructus sit, quô et culparum diversa genera cognoscere, et remedia idonea adhibere queat. Reapse olim sacerdotum audiendis confessionibus praepositorum sapientia in eo praecipue versabatur, ut canones paenitentiales probe scirent, quibus nulla ecclesia seu latina seu graeca seu denique orientalis caruit. Postquam vero eius scientiae necessitatem demonstravit Sophronius, canones ipsos paenitentiales, legum instar poenalium, ponit; quos videlicet canones apud Hierosolymorum ecclesiam usitatos fuisse credendum est. Et quoniam huiusmodi cano-

nes in synodis plerique condi solebant, hinc fortasse, ni fallor, parisiacus Reginae codex, opusculum hoc Sophronii, collectionem ex synodis appellavit. Sed utcumque regius codex se habet, mihi quidem vaticanam Sophronio inscriptam lucubratiunculam recitare hoc loco placet.

ΠΕΡΙ ΕΞΑΓΓΕΛΙΩΝ

ΕΚ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΣΩΦΡΟΝΙΟΥ ΙΕΡΟΣΟΛΥΜΩΝ.

Πολλοὶ τρόποι τῶν ἐξαγγελιῶν εἰσίν· ἄλλος γάρ ἐστιν ὁ ἑκουσίως ἐξαγγέλλων, καὶ ἄλλως ὁ ἀπὸ πειρασμοῦ ἢ ἀῤῥωστίας· καὶ τινὲς μὲν φεύγουσι τοὺς ἐσυμμένους καὶ τὴν γραφὴν μεμνημένους, προστρέχουσι δὲ τοῖς ἰδιώταις· ἄλλως γὰρ ὠφελεῖται ὁ εἰς ἰατρὸν δόκιμον ἄῤῥωστος περιοδευόμενος, καὶ ἄλλως ὁ εἰς ἄπειρον τῆς ἰατρικῆς τέχνης· καὶ ἄλλως τρόπος πάλιν τῆς ἐξαγγελίας τῶν ἀρχόντων, καὶ ἄλλος τῶν ςρατευομένων, καὶ ἄλλος τῶν πλουσίων, καὶ ἄλλος τῶν πτωχῶν καὶ πενήτων, καὶ ἄλλος τῶν γερόντων, καὶ ἄλλος τῶν νεωτέρων· καὶ ἄλλος ὁ τρόπος τοῦ ἐκκλησιαςικοῦ τάγματος, καὶ ἄλλος τῶν μοναζόντων, καὶ ἄλλος τῶν ἐν κοινοβίῳ, καὶ ἄλλος τῶν ἡσυχαζόντων, καὶ ἄλλος τῶν ἀναχωρητῶν· οὓς ὀφείλει ἀκριβῶς εἰδέναι ὁ τὰς ἀναδοχὰς δεχόμενος· ὥσπερ γὰρ ὁ δόκιμος ἰατρὸς ἑκάςου πόνου καὶ ὀδύνης καὶ ἀλγήματος, τάς τε βοτάνας καὶ τὰ κενωτικὰ καὶ τὰ ξύρια καὶ τὰ οὐλωτικὰ γινώσκει καὶ ἐπίσταται, οὕτως καὶ οἱ τὰς ἐξαγγελίας δεχόμενοι ὀφείλουσιν εἰδέναι, τί ἐστι ψυχικὴ νόσος καὶ νοὸς ἀῤῥωστία καὶ καρδίας ταραχὴ καὶ πάθος σωματικὸν, καὶ τί ἐστι πορνεία νοὸς, καὶ μοιχεία ψυχῆς, καὶ αὖραι διανοίας, καὶ πα-

ρaριπισμοὶ συνειδήσεως, τί ἐστιν ἁμαρτία, καὶ τί ἐστιν ἀδικία, τί ἐςι πλεονεξία, τί τὸ ψεῦδος, καὶ τί ἡ ἐπιορκία· καὶ ὥσπερ ὁ μετὰ αἱρετικῶν δογματίζων ἐὰν οὐ γινώσκει τί ἐστι ἡ οὐσία καὶ φύσις, τί ἐστιν ἡ ὑπόστασις καὶ πρόσωπον ἄτομον, τί ἐστιν ἡ διαφορὰ καὶ ποιότης καὶ ἰδίωμα, ἑαυτὸν μὲν βλάπτει, ἄλλους δὲ οὐκ ὠφελεῖ, οὕτως καὶ οἱ τὰς ἐξαγγελίας δεχόμενοι· ἑαυτῶν γὰρ τὰ ἴδια πάθη μὴ ἰατρεύσαντες, καὶ διὰ τῶν γραφικῶν βοτανῶν καθαρσίων καὶ ἀλειμμάτων τὴν χολὴν τῆς ἁμαρτίας, καὶ τὸ φλέγμα τῆς ἀδικίας, καὶ τὴν δυσωδίαν τῆς πλεονεξίας ἐκ τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος αὐτῶν μὴ καθαρίσαντες, καὶ τὴν ἰδίαν ἀσθένειαν μὴ θεραπεύσαντες, καὶ ἑαυτοὺς μὴ ἐλεήσαντες, πῶς δύνανται ἄλλους ἐλεῆσαι βοηθῆσαι; καὶ κενοδοξίας καὶ ἀνθρωπαρεσκίας τοὺς θείους κανόνας παραχαράττοντες μὴ ἐπιστάμενοι, ψυχικῶς ἐθανάτωσαν τοὺς ἐξαγγέλλοντας, ἄλλο ἀντ' ἄλλου διδάξαντες, καὶ τοὺς ἁμαρτήσαντας, πεφορτισμένους τῷ θανάτῳ παρέπεμψαν· τὸ δὲ αἷμα τῶν ἐξαγγειλάντων, ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως ἐκ τῶν τοιούτων διδασκάλων ἀπαιτήσει ὁ ἀδέκαστος κριτής.

Εἴ τις μεταλαβὼν τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ κυρίου, λούσεται, ἐπικατάρατος. Ὁ νηστεύων εἰς τὸ κοινωνῆσαι ἐὰν ἐκ τοῦ ὑπεναντίου εἰσέλθῃ ὕδωρ εἰς τὸ στόμα αὐτοῦ, ἢ νιπτομένου ἢ λουομένου, οὐκ ἀποστραφήσεται τῆς κοινωνίας, ἵνα μὴ εὕρῃ ἀφορμὴν ὁ σατανᾶς τοῦ κωλῦσαι αὐτόν. Ὁ λύων ὅρον γονέων ἢ ζώντων ἢ τεθνηότων, ἀνάθεμα ἔστω. Ὁ τρυχῶν ἁπτόμενος καὶ τὸ πρόσωπον τύπτων, ἢ ἁπλῶς περιφρονῶν τοὺς γονέας αὐτοῦ, κἂν ἐπὶ ζωῆς κἂν ἐπὶ θανάτου, ἐπικατάρατος. Εἰ τοὺς ςάχυας τοὺς ἀποπίπτοντας οὐκ ἀφίησιν συλλέγειν τοῖς

πτωχοῖς, ἐπικατάρατος. Εἴ τις δίδει τοῖς μάντευσιν ἀντίψυχον, καὶ λαμβάνει γραπτὸν, ἢ ᾄδει, ἐπικατάρατος. Εἴ τις ἀπαρχὰς ἅλωνος καὶ ληνοῦ οὐ δώσει τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ τοῖς πτωχοῖς, ἐπικατάρατος. Εἴ τις ἀδελφὸν διαβάλλῃ, σὺν τῷ διαβόλῳ κατακρίνεται. Ἐὰν μεθύσῃ μοναχὸς, ἐπόρνευσεν. Ἐὰν ἀπὸ γαστριμαργίας ἐμέσῃ, ἐπόρνευσεν. Ἐὰν μοναχὸς γελάσῃ ἐπὶ δήμου, ἐπόρνευσεν. Ἐὰν ἀπολογηθῇ τῷ ἡγουμένῳ αὐτοῦ, ἐπόρνευσεν. Εἴ τις μοναχὸς ἀποζώννυται ἐν τῇ κοίτῃ αὐτοῦ, καὶ οὕτως κοιμηθῇ, ἐχέτω μετανοίας ρν΄. Ὁ συνευχόμενος ἀκοινωνήτῳ, ἀκοινώνητος ἔστω καὶ αὐτός. Ὁ συνευχόμενος αἱρετικῷ ἐν ἐκκλησίᾳ ἢ ἐν οἴκῳ, ἀκοινώνητος ἔςω καὶ αὐτός. Ὁ συνευχόμενος καθῃρημένῳ, καθῃρημένος ἔστω καὶ αὐτός. Ὁ κοινωνῶν τοῖς ἀκοινωνήτοις, ἀκοινώνητος ἔστω καὶ αὐτός. Κοσμικὰς φροντίδας ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος δεχόμενος, καθαιρεῖται. Κληρικὸς ἐγγυὰς οὐ δίδωσι, δοὺς δὲ καθαιρεῖται. Ἱερεὺς πιςὸν ἢ ἄπιςον τυπτήσας, καθαιρεῖται. Ὁ ἐπὶ χρήμασιν ἱερεὺς γενόμενος, μετὰ τοῦ χειροτονήσαντος ἔσται κατὰ τὸν Σίμωνα καθαιρούμενος. Ἱερεὺς τόκους ἀπαιτῶν, εἰ οὐ παύεται, καθαιρεῖται. Ὁ κυβιστὴς καὶ πάροινος ἱερεὺς, εἰ μὴ παύοιτο, καθαιρείσθω. Εἴ τις τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐκβάλῃ, καὶ ἑτέραν ἀγάγηται, ἀφοριζέσθω. Ὁ δίχα τῆς κατὰ τρίβον ἀνάγκης κληρικὸς εἰς καπηλεῖον ἐσθίων, ἀφοριστέος. Ὁ ἐμπαίζων χωλὸν ἢ τυφλὸν ἢ κωφὸν ἢ ἄλλως τὸ σῶμα πεπηρωμένον, ἀφορίζεται, ὡς ἐπιμεμφόμενος τὸν πλάσαντα αὐτόν. Ὁ τὴν εὐσέβειαν μὴ διδάσκων ἐπίσκοπος, ἀφορίζεται· καθαρεῖται δὲ μένων ἀδίδακτος. Ἐπιδεῆ κληρικὸν οὐκ εὐεργετῶν ἐπίσκοπος, ἀφορίζεται. Ὁ βιασάμενος παρθένον ἀμνήστευ-

τον, συμφθαρεὶς αὐτὴν, ἀφορίζεται, καὶ μὴ ἐξέτω αὐτῷ ἑτέραν λαμβάνειν, ἀλλ' ἐκείνην κατέχειν ἣν ἠρετίσατο, κἂν πενιχρὰ τυγχάνῃ. Ὁ γευόμενος θύτου πνικτοῦ ἢ θηριαλώτου ἢ θνησιμαίου, καθαιρεῖται· ὁ δὲ λαϊκὸς ἀφορίζεται. Γίνεται χωλὸς ἢ ἑτερόφθαλμος ἄξιος ὑπάρχων ἐπίσκοπος· ὁ μέν τοι τυφλὸς ἢ κωφὸς οὐ γενήσεται. Τοὺς ἀμφιγνοουμένους εἰ ἐβαπτίσθησαν, ἢ μὴ, ἤρεσαν βαπτίζεσθαι, μήποτε τῷ δισταγμῷ στερηθῶσι τῆς θείας καθάρσεως. Θυσιαστήριον ἐν ἀγρῷ ἢ ἐν ἀμπελῶσι γενόμενον ἐν ᾧ λείψανον οὐκ ἐναπόκειται μαρτύρων, καταστρεφέσθω. Καταστρεφέσθωσαν δὲ καὶ τὰ δι' ἐνυπνίων καὶ ἀποκαλύψεων συνιστάμενα θυσιαστήρια· σκότος γὰρ ὢν ὁ διάβολος, φῶς ὑποκρίνεται, καὶ προφάσει δῆθεν εὐλαβείας τὰς τῶν ἀνθρώπων δελεάζει ψυχάς. Εἴ τις φωραθῇ ἀποκείρων τινὰ χωρὶς παρουσίας τοῦ ὀφείλοντος αὐτὸν εἰς ὑποταγὴν παραλαβεῖν ἡγουμένου, αὐτὸς καθαιρείσθω· ὁ δὲ ἀποκαρεὶς ὑποταγῇ καὶ μοναστηρίῳ διδόσθω. Εἴ τις κληρικὸς πορνεύσας, τοῦ μὲν βαθμοῦ τῆς ἱερωσύνης κατάγεται, τῆς θείας δὲ κοινωνίας οὐ κωλύεται, ἀλλὰ μετὰ τῶν λαϊκῶν κοινωνεῖ. Ὅτι οὐ χρὴ μεταδιδόναι τῶν θείων μυστηρίων τοῖς λαμβάνουσι τόκους, ἢ συνεσθίειν αὐτοῖς ἐπιμένουσι τῇ παρανομίᾳ. Εἰ ὀφείλει ὀνειραθεὶς κοινωνῆσαι, ἢ οὔ; εἰ μὲν ἐπιθυμίᾳ γυναικὸς, οὐκ ὀφείλει· εἰ δὲ ὁ σατανᾶς πειράζων αὐτὸν, κοινωνείτω τῶν θείων μυστηρίων, ἐπεὶ οὐ παύσεται ὁ πειράζων ἐπιτιθέμενος αὐτὸν κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ὅτε ὀφείλει κοινωνῆσαι. Εἰ μὴ δυνατὸν ἐν ἐκκλησίᾳ προϊέναι, κατ' οἶκον συνάξεις ὦ ἐπίσκοπε, ἵνα μὴ εἰσέρχηται εὐσεβὴς εἰς ἐκκλησίαν ἀσεβῶν· οὐχ ὁ τόπος γὰρ τὸν ἄνθρωπον ἁγιάζει, ἀλλ' ὁ ἄνθρωπος τὸν τόπον· φευκτέον

σαι ἔστω διὰ τὸ βεβηλῶσθαι ὑπ' αὐτῶν· ὡς γὰρ ὅσιοι ἱερεῖς ἁγιάζουσιν, οὕτως οἱ ἐναγεῖς μιαίνουσιν· εἰ δὲ μήτε ἐν οἴκῳ ἅμα μήτε ἐν ἐκκλησίᾳ δυνατὸν συναθροισθῆναι, ἕκαστος ἑαυτῷ ψαλέτω, ἀναγινωσκέτω, προσευχέσθω· ἢ ἅμα δύο ἢ τρεῖς· ὅπου γὰρ ἐὰν ὦσι, φησὶν ὁ κύριος, δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι ἐν τῷ ἐμῷ ὀνόματι, ἐκεῖ εἰμὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν. Ἐὰν ἱερεὺς πίῃ οἶνον καὶ ξεράσῃ, ἡμέρας μ' μὴ κοινωνείτω· ὁμοίως δὲ καὶ μοναχός. Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος πέσῃ εἰς ἁμαρτίαν γυναικὸς, καθαιρείσθω. Εἴ τις ποιήσει μετὰ ἑτέρου, καὶ ἀποθάνῃ τὸ ἓν μέρος, ἵνα ποιήσῃ ἐπιτίμιον ὁ ζῶν, ἤτοι παρηγγέλθη ὑπὸ τοῦ πνευματικοῦ, καὶ χρόνον ἕνα εὐχόμενος ὑπὲρ τοῦ τελευτήσαντος. Τοῖς διδοῦσι χρήματα πρὸς τὸ διαφυγεῖν βασάνους, οὐκ ἔστιν ἔγκλημα· εἵλοντο γὰρ χρήματα ζημιωθῆναι ἢ ψυχήν· καὶ λύτρον ἀνδρὸς ὁ ἴδιος πλοῦτος. Οὐδὲ τοῖς τῇ φυγῇ τὴν σωτηρίαν πορισαμένοις ἔστιν ἐγκαλεῖν, κἂν ἀντ' αὐτῶν ἕτεροι κατεσχέθησαν, ἠδύναντο γὰρ κἀκεῖνοι φυγεῖν. Εἴ τις πρεσβύτερος ἢ διάκονος, ὡς δῆθεν ἐπ' ἐγκλήματι τοῦ οἰκείου κατεγνωκὼς ἐπισκόπου πρὸ συνοδικῆς διαγνώσεως ἀποσῇ τῆς αὐτοῦ κοινωνίας, καὶ μὴ ἀναφέρῃ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καθαιρείσθω. Καὶ εἴ τις ἐπίσκοπος αὐτὸ τοῦτο τολμήσει κατὰ τοῦ ἰδίου μετροπολίτου, καθαιρείσθω. Ὡσαύτως καὶ εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ μητροπολίτης κατὰ τοῦ πατριάρχου ταῦτα τολμήσει, τῆς ἱερωσύνης παυέσθωσαν. Εἰ δέ τινες ἀποσταίεν τινὸς οὐ διὰ πρόφασιν ἐγκλήματος, ἀλλὰ δι' αἵρεσιν ὑπὸ συνόδου ἢ ἁγίων πατέρων κατεγνωσμένην, τιμῆς καὶ ἀποδοχῆς ἄξιοι, ὡς οἱ ὀρθόδοξοι.

ΤΟΥ ΜΑΚΑΡΙΟΥ ΣΩΦΡΟΝΙΟΥ

μοναχοῦ μονῆς ἀββᾶ Θεοδοσίου τῆς κατὰ τὸν ἔρημον οὔσης
τῆς ἁγίας Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν πόλεως
ἐγκώμιον εἰς τοὺς ἁγίους

ΚΥΡΟΝ ΚΑΙ ΙΩΑΝΝΗΝ

τοὺς μάρτυρας.

BEATI SOPHRONII

monachi monasterii abbatis Theodosii, quod est circa desertum sanctae Christi Dei nostri civitatis, qui postmodum episcopus factus est eiusdem hierosolymitanae civitatis, in laudem sanctorum martyrum

CYRI ET IOHANNIS

et miraculorum, quae ab eis gesta sunt, ex parte narratio, interpretibus Bonifacio consiliario (1) et Anastasio bibliothecario.

Η ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

α. Ὀφθαλμῶν ἀῤῥωστίας ἕνεκα Κύρῳ καὶ Ἰωάννῃ προσελθόντες τοῖς μάρτυσιν, κατὰ τὸν

PROTHEORIA ID EST PRAEFATIO.

1. Propter aegritudinem oculorum ad Cyrum et Iohannem martyres accurrentes, apud eorum

(1) Ab hoc Bonifacio priora duodecim ss. Martyrum cum praefatione miracula in latinum ex graeco Sophronii fuisse conversa, testis est apud nos Spicil. T. IV. p. 228. ipse Anastasius. Quisnam autem fuerit praedictus Bonifacius, quaeque eius aetas, munera, et dignitas, tradit erudita adnotatione

αὐτῶν νεὼν ἐτρίβομεν· καὶ τὰ τῶν ἰάσεων βλέποντες κύματα, ὑπομνήμασιν ἐντυχεῖν ἠβουλήθημεν τὴν τῶν μαρτύρων ἡμᾶς ἐκδιδάσκουσιν ἄθλησιν, καί τινα τῶν προλαβόντων θαυμάτων κηρύττουσιν· καὶ μηδὲν εὑρόντες ὧν ἔφημεν, εἰ μὴ μόνας δύο μικρὰς ὁμιλίας Κυρίλλου τοῦ μεγάλου (1) τῆς ἀληθείας προμάχου καὶ κήρυκος, εἰς ζῆλον ἀφόρητον ἤχθημεν· εἰ ψευδῆ μὲν συγ-

basilicam morabamur, miraculorumque exundantiam intuentes, haec memorantia scripta volebamus legere, quae nos martyrum certamen instruerent, quaeve de praecedentibus miraculis praedicarent: nihilque invenientes quae diximus, nisi tantum duos breves sermones magni Cyrilli, qui propugnator et praeco extitit veritatis, ad zelum sumus intolerabilem excitati. Si pagani quique fal-

Bencinius ad vitas Pontificum RR. ed. Blanchin. T. IV. p. 130. Aetas inde patet, quod sub Benedicto II. et Sergio I. pontificibus vixit, dimidio vix saeculo post S. Sophronii obitum. Loquitur autem de Bonifacio synodus nicaena secunda in act. I., cuius verba recitat praedictus Bencinius. Idem de dignitate consiliarii sic ibi ait. « Apud romanum clerum et Pontificem dignitas consiliarii Sedis apostolicae erat inter spectabiliores. Qui enim hoc munere fungebatur, in gravioribus publicisque controversiis velut assessor Pontifici et clero adstabat; et siquando vacaret Sedes, una cum aliis regebat ecclesiam. » Antequam vero hoc scholium praesenti volumini attexerem, iam de Bonifacio consiliario aliquid ego scripseram in quinto Spicilegii volumine pag. 154.

(1) Videsis has perbreves S. Cyrilli homilias a nobis primum editas in sequente volumine p. 248-252.

γράφοντες ἕλληνες, καὶ μηδὲν ἀληθὲς, μηδὲ φασμάτων ἐλεύθερον λέγοντες, βίβλους ὑπὲρ δαιμόνων τοσαύτας γεγράφασιν, ἡμεῖς δὲ τετραπόδων δίκην κατὰ τοὺς Ἰὼβ τοῦ δικαίου φίλους σιγήσομεν, τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα τῆς ἀληθείας, ἥ τις ἐστὶν Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν, ἔργα θαυμάσια βλέποντες διὰ τῶν ἀσκητῶν καὶ τῶν τούτου θεραπόντων γιγνόμενα; καὶ μάλιστα διαῤῥήδην βοῶντος ἀκούοντες, ὅσα εἴπατε ἐν τῷ κρυπτῷ, ἐν τῷ φωτὶ ἀκουσθήσεται· καὶ ὃ πρὸς τὸ οὖς ἠκούσατε, ἐπὶ τῶν δομάτων κηρύξατε· καὶ τῶν μακαρίων ἀποστόλων ἐν ταῖς πράξεσιν, πρὸς τοὺς σιγᾷν αὐτοῖς ἐπιτρέποντας λεγόντων, ὡς ἡμεῖς οὐ δυνάμεθα ἃ ἴδομεν καὶ ἠκούσαμεν μὴ

sa conscribentes, dum nihil verum nec fabulis liberum dicant, tot libros super daemoniis conscripserint, nos ad instar quadrupedum secundum amicos iusti Iob tacebimus, tanta ac talia veritatis, quae Christus est Deus noster, opera mirifica contuentes, per veros (1) famulos eius effecta? et praecipue clamantem eum manifestius audientes: quaecumque dixeritis in occulto, audientur in lumine; et quae in aure audistis, praedicate super tecta: beatisque apostolis ad eos, qui silere sibimet indicebant, in actis suis dicentibus,

(1) *Corrige* per athletas et. *Interpres legebat* ἀληθῶν τούτου.

λαλεῖν· διὸ καὶ ἡμεῖς ζήλῳ θερμοτέρῳ καιόμενοι πρὸς τὴν σορὸν τῶν ἁγίων ἐδράμομεν· καὶ πεσόντες εὐσεβῶς ἐπὶ πρόσωπον ὁλοψυχῶς ηὐξάμεθα ὡς ἤδη ἐν ἡμῖν ὑπουργοῦσαν τὴν ὅρασιν, περὶ τῆς αὐτῶν ἀθλήσεως ἐντελέστερον γράψωμεν, καὶ περὶ τῶν πρὸς αὐτῶν γινομένων θαυμάτων συντάξωμεν, συνεργούσης ἡμῖν πρὸς τὸν κάματον τῆς θείας αὐτῶν χάριτος καὶ δυνάμεως· ὑπὲρ ὧν ἡμεῖς ἠβουλήμεθα γραφὴν τὴν παροῦσαν ποιήσασθαι· τὴν Ἄνναν ἐπὶ τῇ προσενέξει Σαμουὴλ τοῦ προφήτου μιμούμενοι, καὶ Πέτρου τὴν πενθερὰν εὐγνωμόνως ζηλώσαντες, ὡς ἡ μὲν τὸν υἱὸν, ἡ δὲ ἑαυτὴν θεῷ τῷ

quod nos non possumus quae vidimus, et audivimus non loqui. Idcirco et nos fraglantiori zelo ſerventes, ad confessionem sanctorum cucurrimus, pie procidentes in faciem, totoque animo devoventes, ut si nobis concesserint visionis officium, de certamine eorum, et quaeque ab eis fiunt eorum miracula conscriberemus, divina gratia cooperante nobis atque virtute (1). De quibus duntaxat scripturam hanc voluimus facere, Annam in oblatione matrem prophetae Samuelis imitati, et socrum Petri fideliter aemulati; quarum illa filium, haec se ipsam Deo, qui eam sal-

(1) *Corr.* de certamine eorum accuratius conscriberemus, et quae miracula ab eis sunt facta colligeremus, cooperante nobis ad laborem divina eorum gratia atque virtute.

σεσωκότι πρὸς δουλείαν προσήνεγκαν· ὅθεν ἀναστάντες καὶ καθ' ἑαυτοὺς μετὰ ταῦτα γενόμενοι, τὸ τῶν μαρτύρων ὕψος σκοπήσαντες, καὶ τῶν δρωμένων θαυμάτων τὸ πλῆθος θεώμενοι, κατὰ τὸν μέγαν Πέτρον ὅτε τὸ θαλάττιον ῥεῖθρον ἐπέζευεν ἐφοβήθημεν, κἀν τοῖς ἑαυτῶν λογισμοῖς ἐποντούμεθα, καὶ πλεῖστα τὴν ἡμῶν αὐτῶν προπαίτειαν ἐμεμφόμεθα, δι' ἣν ἑαυτοὺς μετρήσαντες πρότερον, ἐν τοῖς ὑπὲρ ἡμᾶς ἑαυτοὺς ἐξετείναμεν.

β. Συνηύξε δὲ τὸν φόβον ἡμῖν Μωϋσῆς ὁ θεσπέσιος, μᾶλλον δὲ ὁ πρὸς Μωϋσέα διαλεγόμενος κύριος, καὶ μίαν εἰσφορὰν τὸν πλούσιον

vavit, ad deserviendum optulerat. Unde adsurgentes, et apud nos postmodum recollecti, hinc quidem martyrum celsitudinem speculabamur, miraculorum quae fiebant multitudinem cernebamus; inde imbecillitatem nostram, sicut Petrus magnus dum super fluenta maris incederet, animadvertentes, terrebamur fluctuantes in cogitationibus nostris, et multum nostram petulantiam refutantes, ob quam nosmetipsos primum non metientes, ad id, quod supra nos est, nosmetipsos extendimus.

2. Adaugebat nobis vero timorem et Moyses ille venerabilis, immo Dominus qui cum Moyse disputans unam oblationem et divitum exquirit

ἀπαιτῶν καὶ τὸν πένητα· καὶ μήτε τὸν πλούσιον ἐῶν πλείονα διδόναι λύτρα, τὴν ψυχὴν λυτροῦσθαι βουλόμενον, μήτέ τι συγχωρῶν παρὰ ταύτην προσφέρειν τὸν πένητα· πᾶς γάρ φησιν ὁ παραπορευόμενος εἰς τὴν ἀπόσκεψιν ἀπὸ εἰκοσαετοῦς καὶ ἐπάνω, δώσουσιν τὴν εἰσφορὰν κυρίῳ· ὁ πλουτῶν οὐ προσθήσει, καὶ ὁ πενόμενος οὐκ ἐλαττονήσει ἀπὸ τοῦ ἡμίσους τοῦ διδράγμου, ἐν τῷ διδόναι τὴν εἰσφορὰν κυρίῳ, ἐξιλᾶσθαι περὶ τῶν ψυχῶν ὑμῶν· ὅθεν καὶ ἡμεῖς ἀπορώτεροι καὶ τῶν λίαν πτωχῶν ἐν λόγοις τυγχάνοντες, παραιτήσασθαι τὴν ἐν εὐχαῖς συνταχθεῖσαν θεῷ τε καὶ μάρτυσιν τῶν λύτρων εἰσφορὰν ἠβουλόμεθα· ἀλλὰ τοῦτο δρᾶν ἡμᾶς ἕτερον

et pauperum; neque divitem sinens ampliora munera dare, cum animam velit redimere, neque praeter haec quicquam offerre pauperem. Omnis itaque, ait, qui profectus fuerit ut consideret, a viginti annis et supra, dabunt oblationem Domino: qui dives est, non adiciet; et qui pauper est, non minuet de dimidio didragmatis, dum dederint oblationem Domino redemptionem pro animabus suis. Unde et nos valde scilicet pauperiores etiam eis, qui nimis sunt inopes in sermone, recusare hanc quae in votis Domino et martyribus eius, a nobis promissa est redemptionis oblationem voluimus; sed haec nos agere alterum

ἀνεκόπτε λόγιον, ὅπερ ἐκκλησιάζων ὁ Σολομῶν ἀπεΓράψατο· καθὼς ἂν εὔξῃ εὐχὴν τῷ θεῷ βοῶν, μὴ χρονίσῃς τοῦ ἀποδοῦναι αὐτό· ὅτι οὐκ ἔστιν θέλημα ἐν ἄφροσιν· σὺ οὖν οἷα ἂν εὔξῃ, ἀπόδος· ἀγαθὸν τοῦ μὴ εὔξασθαί σε καὶ μὴ ἀποδοῦναι· καὶ Δαβὶδ ὁ τοῦτον γεννησάμενος λέγων ἐν ᾄσμασιν, τὰς εὐχάς μου τῷ κυρίῳ ἀποδώσω· καὶ πάντας ἐπὶ τὴν οἰκείαν ἀναγόμενος μίμησιν· εὔξασθε γάρ φησιν καὶ ἀπόδοτε κυρίῳ τῷ θεῷ ἡμῶν· ὧν τὰ ἀκόλουθα καὶ Ἰωνᾶς ὁ προφήτης ᾄδων ἐφθέγξατο· ὅσα ηὐξάμην ἀποδώσω σοι σωτῆρι μου τῷ κυρίῳ· ἤδη δὲ καὶ Μωϋσέως ὁ νόμος ἀπαιτεῖν ἠξίου τὰ ἐν εὐχαῖς συντάττόμενα· ἐὰν γὰρ εὔξῃ φησὶν εὐχὴν κυρίῳ τῷ

eloquium cohercebat, quod Salomon concionator ascripserat dicens: iuxta quod vovisti Domino votum tuum, non retarderis exsolvere, quoniam non est voluntas in insipientibus: tu autem quaecumque voveris redde (1). Et David eius genitor inquit in canticis: vota mea Domino reddam: omnesque ad sui imitationem invitans, vovete, inquit, et reddite domino Deo vestro. Quibus consequentia et Ionas propheta canens effatus est: haec quae vovi, reddam salutari meo Domino. Iam pridem et lex Moysis exigi mandat, quae promittuntur in votis: si ergo voveris, inquit, votum

(1) *Corr.* tu autem quaecumque voveris, redde; bonum est te non vovere et non reddere. Et David etc.

θεῷ σου, οὐ χρονίσῃς ἀποδοῦναι αὐτὴν· ὅτι ἐκζητῶν ἐκζητήσει κύριος ὁ θεός σου παρὰ σοῦ, καὶ ἔσται σοι ἁμαρτία· ἐὰν δὲ μὴ θελήσῃς εὔξασθαι, οὐκ ἔσται σοι ἁμαρτία· τὰ ἐκπορευόμενα διὰ τῶν χειλέων σου φυλάξεις, καὶ μὴ ποιήσῃς ὃν τρόπον ηὔξω κυρίῳ τῷ θεῷ σου, δόμα ὃ ἐλάλησας τῷ στόματί σου.

γ. Οὕτω δὲ τοῖς λογισμοῖς πιεζόμενοι, καὶ ποτὲ μὲν γράφειν διὰ τὰ πρῶτα φοβούμενοι, ποτὲ δὲ μὴ γράφειν διὰ τὰ δεύτερα τρέμοντες, καὶ τί δρᾷν οὐ γινώσκοντες, πρὸς τοὺς μάρτυρας κατεφύγομεν, ὧν τὸ πρακτέον πρὸς τῆς αὐτῶν ἁγιστείας ᾐτούμεθα· οἱ δὲ τοῦ ζήλου τὴν γνώμην δεξάμενοι, καὶ τῆς προπετείας οὐκ ἀτι-

Domino, non tardaveris reddere, quia exquirens exquiret dominus Deus tuus abs te, et erit tibi in peccatum. Si vero non vis vovere, non erit tibi in peccatum. Quae processerint de ore tuo conservato faciens, quemadmodum vovisti domino Deo tuo, donum quod loquutus es ore tuo.

3. His igitur curis obstrictus interdum quidem scribere propter priora perterritus, interdum non scribere propter sequentia contremiscens, et quid agerem nesciens, ad eosdem martyres confugiens, quid agendum esset ab eorum sanctimonio deposcebam. Illi vero affectus suscipientes propositum, et pro petulantia non denotantes, scribere prae-

μάσαντες ἕνεκα, τὸ γράφειν ἐπέτρεψαν, τὴν ἑαυτῶν συμμαχίαν χορηγεῖν συνταξάμενοι· πολλάκις οὖν ἐν τῷ γράφειν ἡμᾶς ἐπεφάνησαν, πληροῦντες αὐτῶν τὸ ἐπάγγελμα· ποτὲ μὲν μέλαν καὶ κάλαμον παρεχόμενοι, ποτὲ δὲ τὴν τετράδα λαμβάνοντες, καὶ τὰ ἡμέτερα σφάλματα διορθούμενοι· ἔστιν δὲ ὅτε καὶ ταῖς διηγήσεσι χαίροντες τὴν τῶν προσώπων ἐδείκνυον ἱλαρότητα, ἐν τῷ διέρχεσθαι πάσχοντες ὃ πολλάκις ἡμεῖς ὑπομένομεν, ἐπὰν ὀνόμασιν ἐν ἡδυτέροις γενώμεθα, ἢ χωρίοις φαρισαΐσωμεν (1)· μυριάκις δὲ ἡμῖν ἐν ἄλλοις σχολάζουσιν διεμάχοντο, καὶ ὡς ἀμελοῦσιν ἐπέπληττον· καὶ μέχρι τίνος οὐ πληροῖς τὴν ἀλήθειαν ἔλεγον;

ceperunt, praesidium suum conferre pollicentes. Multotiens itaque scribentibus nobis apparuere, quod repromiserant adimplentes; nunc quidem atramentum et calamum porrigentes, nunc vero quaternionem sumentes, et quae nos fefellerant corrigentes; interdum, utpote narrationibus aggaudentes, vultus hilaritate monstrabant ea se cum dilectione discurrere, quod et nos saepius patimur dum laetis oculis pervenerimus ad loca gratiam relationis habentia. Milies quippe nobis dum in aliis occuparemur conquesti sunt, et tanquam neglegentibus increpavere dicentes: quo us-

(1) Ita codex; quod verbum latinus interpres non expressit.

ἀλήθειαν τὴν παροῦσαν γραφὴν, καὶ τὸν εἰς αὐτοὺς ὀνομάζοντες ἔπαινον· ἅπερ εἰ γράψαι θελήσαιμεν, ἅπαντας τοὺς ἐντυγχάνοντας ἀποκναίομεν· ὅθεν τὴν διὰ τούτων καὶ μόνον δηλώσαντες τὴν πολλάκις αὐτῶν γεγονυῖαν ἡμῖν ἀρωγὴν, ἐν τῷ γράφειν ἀρκούμεθα, θεὸν καὶ αὐτοὺς τῆς ἀληθείας ἐν τούτοις ἔχοντες μάρτυρας· ἐν πρώτοις οὖν τὴν μαρτυρικὴν αὐτῶν γεγράφαμεν ἄθλησιν, καὶ τὴν εἰς ναὸν Μάρκου τοῦ θείου κατάθεσιν, καὶ τὴν ἐκ τούτου πρὸς τὸν τῶν εὐαγγελιστῶν οἶκον μετάθεσιν, τὰς τούτων ἀφορμὰς καὶ τὰ σπέρματα ἐκ τῶν τοῦ ἁγίου Κυρίλλου φωνῶν συλλεξάμεναι· μεθ' ἃ καὶ δεκάδας ἑπτὰ θαυμάτων ἐγράψαμεν, μυ-

que non perficis veritatem? hoc de praesenti scriptura, et laude sui nominis deferentes. Quae omnia si scribere velimus, eos qui lecturi sunt honerabimus: sufficit autem, nobis per haec modo, saepius nobis ab eis collatum praesidium dum scriberemus astruere, Deum atque eos testes veritatis, quae in his est, habentes. In primis ergo horum martyriale certamen, conscripsimus, et quod in templo sint venerabilis Marci depositi, et quomodo demum in aedes sunt evangelistarum exinde transpositi; horum occasiones et semina ex vocibus sancti Cyrilli colligentes. Postque haec, septem decadas miraculorum conscripsimus, milia

ριάδας δεκάδων πολλὰς ἔχοντες ἀναγράψασθαι, εἴπερ λέγειν ἡμεῖς μὲν ἠδυνάμεθα, ἀκούειν δὲ οἱ τούτοις προσομιλοῦντες ἐνίσχυον· ἀληθεύει γὰρ καὶ ἐπὶ τούτοις ὁ σοφὸς ἐκκλησιαστὴς ὡς πάντες εἰπὼν οἱ μετὰ κόπου καὶ λεγόμενοι καὶ ἀκουόμενοι καὶ γενόμενοι λόγοι ἔγκοποι· οὐ δυνήσεται ἀνὴρ τοῦ λαλεῖν· καὶ οὐκ ἐμπλησθήσεται ὀφθαλμὸς τοῦ ὁρᾷν, καὶ οὐ πληρωθήσεται οὖς ἀπὸ ἀκροάσεως.

δ. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ δεκάδας ἑπτὰ καὶ μόνας θαυμάτων γράψαι προήχθημεν, τῶν ἑπτὰ ἀριθμὸν παρὰ τῇ γραφῇ μυστικὸν, καὶ τῶν δέκα τέλειον βλέποντες· καὶ δι' αὐτῶν παριστᾷν ἀμφότερα τὰ περὶ τὰ σημεῖα δυναμένους, τό τε μυστικὸν καὶ τὸ τέλειον· τὸ γὰρ μυστικὸν, τὸν

decadarum multarum habentes describere, si utique nos dicere possemus, audire vero qui haec lecturi sunt valuissent. Veraciter quippe etiam in hoc, sapientiae contionator effatus est dicens: omnes sermones laboriosi; non poterit os loqui; nec oculus replebitur ad videndum, nec auris replebitur audiendo.

4. Propter hoc ergo septem tantum decadas miraculorum scribere proposuimus, septimum numerum apud sanctam scripturam mysticum, et decimum perfectum esse cernentes: ut per haec ostendamus circa signa facienda eos possibiles,

κρύφιον λόγον δηλοῖ τῶν ἰάσεων· τὸ ἄπειρον δὲ, τὸ τέλειον· καὶ τοῦ μὲν ἑπτὰ τὸ μυστικόν τε καὶ τίμιον, διὰ τούτων ἐκ τῆς γραφῆς διδασκόμεθα· ὅ τε γὰρ τῶν ὅλων Θεὸς τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ τῆς δημιουργίας ἐπαύσατο, καὶ ταύτην ἁγίαν ἐθέσπισεν· ἑπτὰ ἡμέραις τὴν ἄζυμον τοῦ πάσχα τροφὴν διετάξατο· λυχνίαν τε ποιεῖν ἑπτάμυξον· καὶ διὰ τοῦτο ἕβδομος μὲν ἀπὸ Ἀδὰμ ὁ Ἐνὼχ, ἕβδομος δὲ ἀπὸ τοῦ Ἀβραὰμ Μωϋσῆς παρεγένετο· ὀφθαλμοὺς δὲ κυρίου ἑπτὰ βλέπειν ἐπὶ τὴν οἰκουμένην μανθάνομεν· τοσαῦτα δὲ πνεύματα τὸν Ἡσαΐαν ἀκούομεν λέγοντα·

dum in utroque tam mysticum est, quam perfectum; et mysticum quidem secretam rationem sanationum significat, infinitam vero perfectum; et septimi quidem mysticum ac pretiosum, per haec scriptura nos edocet, quod omnium Deus die septima a constructione requievit, et hanc sanctam esse decrevit. Septem diebus edere azyma festivitatis paschae constituit, et lucernam facere septiformem, et septem rostrorum. Et idcirco septimus quidem ab Adam Enoch; septimus vero ab Enoch (1) et Moyses advenit. Oculos quoque Domini septies orbem terrae videre didicimus; totque spiritus Esaiam dicentem au-

(1) *Corr.* ab Abraham, *ut est in graeco, et videsis Eusebium chron. lib. I. cap. XVI.* 20.

καὶ στύλους ἑπτὰ τῆς σοφίας ὁ Σολομῶν ἀπηρίθμησεν· καὶ οἱ ἀπόστολοι διακόνους ἑπτὰ νομικῶς προχειρίζονται. Τοῦ δὲ δέκα τὸ τέλειον ᾄδουσι μὲν καὶ οἱ ἔξω φιλόσοφοι, οἱ καὶ θεὸν αὐτὸν ἡγησάμενοι, ὡς ἡ τετρακτὺς ἡ πυθαγόριος βούλεται, ὅτι καὶ μονάδων τέλος καθέστηκεν, καὶ μονὰς δεκάδων γνωρίζεται· καὶ βάσις ἐστὶν τῶν μετ᾽ αὐτῶν ἀριθμῶν, ἐφ᾽ ἑαυτὸν ἀεὶ συντεθέμενος· ᾄδει δὲ καὶ Μωϋσέως νόμος σαφέστερον· δέκατος μὲν γὰρ ὁ Νῶε μετὰ τὸν Ἀδὰμ ἀναδείκνυται· καὶ ῥίζα τῆς τοῦ γένους δευτέρα καθίσταται τὴν δεκάδα μιμούμενος· ὁ Ἀβραὰμ δὲ τῷ Μελχισεδὲκ ὡς νικήσας δεκάτας προσήνεγκεν· ἐντεῦθεν καὶ δεκάτας τῶν ὄν-

divimus; et Salomon septem sapientiae columpnas dinumerat; set et apostoli septem diaconos legitime promoverunt. Decimi vero perfectum, tradunt quidem et externi philosophi, qui et Deum hunc arbitrati sunt, sicut illa vult tetractys, id est quaternitas Pythagorae, quia et terminus unitatum est, et unitas decadarum esse cognoscitur; basisque ad fundamentum est sequentium numerorum, dum in se ipso semper multiplicatur. Canit autem et mosayca lex manifestius, quod decimus quidem Noë apparuerat post Adam, qui ad instar decadae, secunda quaedam radix generis extitit. Abraham vero ad Melchisedech deci-

των ἑβραῖοι θεῷ προσάγειν προστάττονται· καὶ τῆς ψυχῆς δὲ τὸ λύτρον ὀβολοὺς δέκα προσφέρειν ὁ νόμος ἐθέσπισεν· ἀλλὰ καὶ δεκάτῃ μὲν τοῦ πρώτου μηνὸς ὁ ἀμνὸς συλλαμβάνεται· δεκάτῃ δὲ τοῦ ἑβδόμου μηνὸς ὁ ἱλασμὸς ἀναγράφεται· ἐντολαὶ δὲ δέκα θεόγραπτοι ταῖς πλαξὶν τῆς διαθήκης ἐνήστραπτον· δέκα δὲ καὶ ὁ κύριος τὰ τῆς εὐχῆς παραδέδωκεν ῥήματα· καὶ Δαβὶδ μὲν ἐν ψαλτηρίῳ δεκαχόρδῳ τοὺς ψαλμοὺς ἐτερέτιζεν· Ἀβραὰμ δὲ μέχρι δέκα δικαίων κατάγει θεοῦ τὸ φιλάνθρωπον, καὶ τὴν ἐπὶ σοδομίταις τῆς καταδίκης ἀνάβλησιν.

ε. Τοῦ δὲ πολυπλασιασμοῦ τῶν δύο τούτων ἀριθμῶν, τοῦ ἑπτὰ φημὶ καὶ τοῦ δέκα τὴν δή-

mas utpote victor obtulit : hinc et decimas rerum suarum offerre Domino Iudaei praecepti sunt : et pro redemptione animae decem obolos lex decrevit offerri. Decima quoque primi mensis agnus adsumitur ; decima vero septimi mensis propitiatio describitur. Mandata etiam decem a Deo in testamenti tabulis scripta fulserunt. Decem etiam Dominus orationis tradidit verba. Et David quidem in psalterio decem chordarum modulatus est psalmos. Abraham vero usque ad decem iustos Dei clementiam inclinavit, et Sodomorum clamorem, quo condempnabantur, inflexit.

5. Multiplicationem vero horum duorum nu-

λωσιν ὁμοίως ποιεῖται τὰ λόγια· αὐτῇ καὶ Μωϋσῆς σὺν τῷ λεῷ φοίνικας εὗρεν ἀνὰ τὴν ἔρημον ἑβδομήκοντα· καὶ μετ' αὐτὸν ἑβδομήκοντα πρεσβυτέρους προβάλλεται· καὶ ὁ κύριος δὲ μαθητὰς ἑβδομήκοντα ἑτέρους μετὰ τοὺς δώδεκα καὶ πάλιν ἀνέδειξεν· καὶ ἑβδομάδες ἑβδομήκοντα συνετμήθησαν ἀπὸ τῆς τοῦ Νῶε κατακλύσεως καὶ τῆς Ἱεροσολύμων ἐμπρήσεως ἕως Χριστοῦ ἡγουμένου, κατὰ Δανιὴλ εἰπεῖν τὸν μακάριον· ἑβδομήκοντα δὲ ἔτη ἕως τῆς ἀπὸ Βαβυλῶνος Ἰσραὴλ ἀνακλήσεως· ἀλλὰ καὶ Τύρον ὁ Ἡσαΐας αἰτεῖ παρὰ κυρίου καταλειφθήσεσθαι φησὶν ἑβδομήκοντα· καὶ πάλιν μετὰ τοσούτων ἐτῶν ἀριθ-

merorum, septimi inquam et decimi, similiter manifestant eloquia. Confestim quidem Moyses cum populo septuaginta palmas invenit in eremo; dehinc septuaginta promovit presbyteros; et Dominus iterum alios discipulos septuaginta post duodecim demonstravit. Septuaginta quoque septimanae (1) a templi destructione, et Hierosolymorum incensione usque ad Christum ducem recensentur, iuxta Danielem; septuaginta etiam anni quo ad usque de Babylone Israël revocatus est: sed et Isaias Tyrum dicit annis septuaginta a Deo relinquendam, et iterum post totidem annorum numerum visitandam, et in hoc quod in prin-

(1) *In graeco* a Noë diluvio et a templi *etc.*

μὸν ἐπισκεφθήσεσθαι· καὶ αὐτὸς δὲ ὁ κύριος ἑβδομηκοστὸς ἕβδομος ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ Ἀδὰμ ὁ νέος Ἀδὰμ τῷ βίῳ τῷ καθ' ἡμᾶς ἐπεδήμησεν· καὶ ἑπτάκις συγχωρεῖν ἑβδομήκοντα, καὶ ἀφιέναι προσέταξεν τὰ τῶν μετανοούντων ἀδελφῶν ἁμαρτήματα· καὶ μακρὸν ἂν εἴη ἡ τῆς παρούσης σχολῆς τὰς περὶ τούτων μαρτυρίας ἐκ τῆς γραφῆς ἀναλέγεσθαι· πᾶσα γὰρ τούτων πεπλήρωται, καὶ κηρύττει σαφῶς τὸ τούτων τῶν ἀριθμῶν μυστικόν τε καὶ τέλειον.

ς. Ὅθεν καὶ ἡμεῖς τῶν ἁγίων, ἑβδομήκοντα ταυτὸν δέ ἐστιν εἰπεῖν δεκάδας μὲν ἑπτὰ, ἑπτάδας δὲ δέκα τῶν θαυμάτων γεγράφαμεν· καὶ αἱ τρεῖς μὲν αἱ πρῶται δεκάδες, αἱ μετὰ τὴν

cipio fuerat restaurandam. Ipse Dominus septuagesimus septimus ab Adam vetere, novus Adam in hanc vitam advenit; et septuagies septies indulgere peccata fratribus mandat (1). Longum proinde existit, quam praesens facultas est, super his testimonia de scripturis eligere, dum his tota referta sit, manifeste praedicans horum numerorum mysticum atque perfectum.

6. Ex hoc igitur et nos horum sanctorum, septuaginta miracula scripsimus, quae dicendae sunt decadae quidem septem, septimanae vero decem. Quorum tres quidem decadae primariae, quae

(1) *Corr.* et septuagies septies indulgere, et peccata fratrum paenitentiam agentium dimittere mandat.

ἐμμάρτυρον ἄθλησιν καὶ ταφὴν καὶ μετάθεσιν ἐμφερόμεναι· καὶ μέν τοι καὶ τῆς τετάρτης ἥμισυ, τῶν εἰς ἀλεξανδρέας Κύρῳ καὶ Ἰωάννῃ πραχθέντων δηλοῦσιν τὴν δύναμιν· τὸ δὲ ταύτης λειπόμενον καὶ δεκὰς ἡ πέμπτη, τῶν ἐπ᾽ αἰγυπτίοις δρασθέντων καὶ λίβυσι, γεγόνασι κήρυκες· ἕκτη δὲ καὶ ἑβδόμη, τὰς ἐπὶ τοῖς ὀθνείοις αὐτῶν εὐεργησίας μηνύουσιν· εἰς τρεῖς γὰρ ὁ πᾶς ἀριθμὸς τῶν γραφῶν τῶν θαυμάτων διήρηται, εἰς ἀλεξανδρέας, εἰς αἰγυπτίους καὶ λίβυας, εἰς τοὺς ἐξ ἀλλοδαπῆς δρασσομένους ἰάματα· τὸ δὲ τῆς διαιρέσεως αἴτιον κατὰ τοὺς τόπους γινόμενοι λέξομεν· οὐκ ἀγνοοῦμεν δὲ ὡς ταῖς τῶν θαυμάτων ἱεραῖς διηγήσεσιν ὅτι ὁ ἀνει-

post eorum martyriale certamen, sepulturamque et translationem continentur, sed et quartae dimidium, Cyri et Iohannis, quae in alexandrinis gestae sunt, virtutes insinuant. Quartae vero residuum, et decada quinta, quae in aegyptiis et libycis acta sunt praedicant: sexta autem et septima, beneficia quae in advenis gesta sunt intimant. In tribus quippe totus scriptorum miraculorum dividitur numerus, in alexandrinis, in aegyptiis et libycis, et in eis qui ex advenis medelam adepti sunt. Divisionis vero causam ad locum venientes asseremus. Non autem ignoramus quod sacris miraculorum narrationibus, mollis sti-

μένος μᾶλλον χαρακτὴρ καὶ ἔκλυτος ἔπρεπεν· ἀλλ᾽ ἡμεῖς τοῦτον ἐάσαντες, τὸν σύντονον παρελάβομεν, ἵνα καὶ δι᾽ αὐτοῦ τὸ τῶν ἁγίων θερμὸν καὶ εὐκίνητον καὶ πρὸς τὰς τῶν νοσούντων ἰάσεις σημαίνῃ τὸ σύντονον.

ΤΟ ΕΓΚΩΜΙΟΝ.

ζ. Ἄλλοι (1) μὲν ἄλλως τοὺς ἁγίους τιμάτωσαν, πολυμερῶς αὐτῶν τὰς δωρεὰς θριαμβεύοντες, καὶ τὰς εὐεργεσίας πολυτρόπως κηρύττοντες, οἱ μὲν ναῶν ὑψηλῶν ἀναστήμασιν, οἱ δὲ ποικίλων μαρμάρων κοσμήσεσιν, ἄλλοι δὲ χρυσαυγῶν ψηφίδων συνθέσεσιν, ἕτεροι φαιδροῖς ζω-

lus magis congruat et solutus, sed nos hunc relinquentes, extensum suscepimus, ut per hunc concitum sanctorum fervorem, et ad curas aegrotantibus conferendas designent instantiam.

BEATI SOPHRONII SERMO IN LAUDEM SANCTORUM CYRI ET IOHANNIS.

7. Alii quidem aliter sanctos honorent, multifarie donationes eorum publicantes, et multis modis beneficia praedicantes; hii excelsorum quidem templorum erectionibus, illi vero variorum marmorum adornationibus, alii auro fulgentium

(1) Sequentes versus octodecim, usque ad εἰώθασιν, extant citati ex Sophronio in nicaena secunda synodo edit. florent. T. XIII. p. 57. Differt autem latina interpretatio Anastasii apud synodum ab hac codicis vaticani, quae fortasse est Bonifatii consiliarii.

γράφων τεχνάσμασιν, καὶ χρυσοῦ ἄλλοι καὶ ἀργύρου ἀναθήμασιν, ἕτεροι δὲ τοῖς ἐκ σηρίκων καὶ βαμβύκων ὑφάσμασιν· καὶ ἅπαξ ἁπλῶς ἅπαντες ἐπὶ τὴν τῶν μαρτύρων τιμὴν ἁμιλλάσθωσαν, ὡς ἑκάστου εὐπορία ἔστιν καὶ ἡ βούλησις· καὶ ἀλλήλους ἐν τούτοις νικᾷν ἐφιέσθωσαν, τὴν πρὸς τοὺς ἁγίους ἐνοῦσαν αὐτοῖς στοργὴν ἐνδεικνύμενοι· καὶ κομιούμενοι ἀντὶ μὲν τῶν φθαρτῶν τὰ ἀμάραντα, ἀντὶ δὲ τῶν προσκαίρων τὰ τέλος οὐκ ἔχοντα· τοιούτοις γὰρ αὐτῶν οἱ θεσπέσιοι τοὺς ἐραστὰς ἀμείβεσθαι τοῖς δώροις εἰώθασιν· ἡμεῖς δὲ οἷς λόγος ἐστὶν τῶν γηΐνων ὑλῶν τιμαλφέστερος, ἅτε μὴ μόνης ἐκ γλώττης ὑλώδους, ἀλλὰ καὶ πνεύματος προχεόμε-

tessellarum compositionibus, alii delectabilibus pictorum artibus, et aureis alii atque argenteis titulis, alii autem sericis et bombycinis texturis. Atque ut simul absolute dicamus, universi honorem martyribus exhibere contendant, prout singulis facultas est et voluntas, et alterutrum in his vincere appetant, suum erga sanctos ostendentes affectum, et percipientes pro corruptibilibus, inmarcescibilia; et pro temporalibus, quae finem non habent: talibus enim egregii consueverunt amatores suos recompensare muneribus. Nos autem, quibus sermo est terrenis materiis pretiosior, utpote qui non sola ex materiali lingua, sed

νος, καὶ αὐτὸς δὲ διὰ τὸν ῥευστὸν καὶ ῥυόμενον ἀμελούμενος, τούτῳ τοὺς ἁγίους τιμήσωμεν· ᾧ καὶ μάλιστα χαίρειν τοὺς μάρτυρας πείθομαι, ὡς λόγου Θεοῦ χρηματίσαντες μάρτυρες, ἄξιον μὲν οὐδὲν τῆς αὐτῶν πανηγύρεως ἔχοντι, πολὺ δὲ τούτων λειπομένῳ τῆς χάριτος· αἰτοῦντες καὶ τοῦτον ἡμῖν ἐνανοῖξαι τοῦ στόματος διδόναι, καὶ προσηνῶς ὡς οἰκεῖον δέξασθαι πρὸς ἡμῶν αὐτοῖς προσφερόμενον.

η. Χρέος δέ ἐστιν τὸ ἐγκώμιον· καὶ τούτου πρὸς ἔκτισιν, ἕτερον πάλιν ποιούμεθα δάνεισμα, τὴν αὐτῶν ἀρωγὴν ἐπισπώμενοι, ἵνα αὐτοὶ ὦσιν οἱ διδόντές τε καὶ οἱ λαμβάνοντες, καὶ τοὺς λέγοντας ἡμᾶς ἁγιάζοντες· χρέος οὖν

et spiritu profunditur; verum et ipse quia defluit et dissolvitur, saepe neglegitur; hoc sanctos honoremus, quo etiam maxime gaudere martyres certus sum, tamquam verbi Dei vocatos praedicatores; postulantes etiam ut et iste nobis detur in apertione oris, et benigne quasi proprius suscipiatur, a nobis illis oblatus, qui nihil dignum sollempnitate ipsorum habemus, quorum scilicet gratiae donis plurimum destituimur.

8. Debitum vero est laus, et ad huius exsolutionem rursus alterum mutuamur eorum persequentes auxilium, ut idem ipsi sint, et qui dant et qui accipiunt, et nos qui loquimur sanctifi-

ὄντως ἐστὶν τὸ ἐγκώμιον καὶ χρέος παράδοξον, χρέος ἐκτινόμενον καὶ τὸν χρεώστην οὐκ ἐλευθεροῦν τοῦ ὀφλήματος, χρέος ἀποπληρούμενον καὶ πάλιν ἀεὶ χρεωστούμενον, χρέος ἀποδιδόμενον καὶ προσθήκην λαμβάνον αὐξήσεως, χρέος ἀεὶ προσφερόμενον καὶ τὴν ὕπαρξιν οὐ μυοῦν τοῦ προσφέροντος, χρέος ἀεὶ παρεχόμενον καὶ πληθύνον τῶν εὐγνωμόνως διδόντων τὰ πράγματα, χρέος ἀεὶ προσνεμόμενον καὶ εὐλογεῖσθαι ποιοῦν τὸν προσνέμοντα· οὐ παλαιὸν δὲ τὸ χρέος καθέστηκεν, ὡς καὶ τόκον ἐγγεννῆσαι τοῖς μάρτυσιν, οἳ καὶ τόκον λαβεῖν ἀπαναίνονται, θείων ἐντολῶν γενόμενοι φύλακες, καὶ ταύτας παρελθεῖν καὶ μετὰ τὴν ἐνθάδε ζωὴν οὐ βουλόμενοι·

cantes. Debitum ergo vere est laus, et debitum admirabile; debitum persolutum, et debitorem a debito liberans; debitum quod completur, et iterum semper debetur; debitum redditum, et appositionem accipiens incrementi; debitum quod semper offertur, et substantiam non minuit offerentis; debitum quod semper exhibetur, et res multiplicat devote praebentium; debitum semper attributum, et benedici faciens tribuentem. Non autem adeo vetus est debitum, ut etiam usuram martyribus gignat; quamquam ipsi usuram accipere renuant, divinorum mandatorum facti custodes, et haec transire post hanc vitam nolentes.

dum Moysen legis scriptorem, mutuique amoris institutorem et praeceptorem, omne animal diligat simile, et omnis homo proximum suum: et reddendae rationis pro omnibus quae geruntur a nobis obliti, cum iuxta Paulum legis doctorem, omnisque virtutis operatorem et praedicatorem, omnes Christi exhibendi simus ante tribunal, poenas exsolventes, et secundum actuum merita, sive bona sive mala recipientes. Et quidem haec ut dicta et credita sunt, procul dubio fient; licet nos forte nolimus, conscientia non bona perculsi.

Theodorus autem cum puniretur, et eius viscera incensorii maleficii comestione inflammaren-

φλεγόμενος, τὰ τῶν ἰατρῶν κατεπάτει συνέδρια· ἀλλ' ὡς ἀπίει πάλιν ὑπέστρεφε, μηδὲν πρὸς αὐτῶν ὀφελούμενος, ἓν δὲ μόνον ἐκέρδαινεν ἀπιὼν καὶ ἐρχόμενος, τῆς αὐτῶν ἀπορίας τὴν εἴδησιν· Γνοὺς δὲ πάντας ὡς οὐδὲν πρὸς τὸ πάθος ἰσχύουσιν, καὶ ἀπογνοὺς τὸ ὑπ' αὐτῶν λυτροῦσθαι καὶ σώζεσθαι, πρὸς Ἰωάννην καὶ Κῦρον τοὺς μάρτυρας, τοὺς ὄντως ἀρωγοὺς καὶ σώζειν ἰσχύοντας ἔρχεται, καὶ τῷ τούτων σηκῷ κατακλίνεται, τὴν αὐτῶν ῥοπὴν ἐκδεχόμενος· οἱ δὲ μὴ βραδύναντες τὴν ἐπίσκεψιν, ἑώρων γὰρ τὴν νόσον ἀφόρητον, κοιμωμένῳ Θεοδώρῳ παρίστανται, καὶ φανέντες ἀσπίδα φαγεῖν ἐπιτρέπουσιν, καὶ ταύτης τῷ βρώματι φυγεῖν τὸν ἀμείλικτον

tur, ad medicorum pergebat concilia. Sed sicut pergebat, sic iterum rediebat * in nullo ab eis adiutus; unum tum solummodo abiens et veniens lucrabatur, eorum videlicet impossibilitatis notitiam. Cognoscens autem quod omnes illi nihil contra passionem valuissent, et desperans ab eis erui et salvari, ad Iohannem et Cyrum martyres, qui vere adiutores sunt et salvare queunt, occurrit, et in horum confessione recubuit, auxilium praestolaturus eorum. At illi nil visitationis * tardantes, videbant enim languorem esse vehementem, dormienti Theodoro assistunt, et apparentes aspidem manducare praecipiunt, et

* ita cod.

* ita cod.

κίνδυνον· ὁ δὲ στραφεὶς, τῇ χειρὶ τὸ τοῦ σταυροῦ σημεῖον ἐπὶ τὸ μέτωπον ἔγραφε, καὶ πονηρὰν εἶναι φαντασίαν νομίσας τὸ ὅραμα, τῶν λεχθέντων οὐδὲν διεπράξατο.

Ἱκετεύοντι δὲ καὶ κλαίοντι, πάλιν ἐν ὕπνοις ὀφθέντες οἱ ἅγιοι, τὰ αὐτὰ ποιεῖν διετάξαντο· ὁ δὲ καὶ τοῦτον αὐτῶν τὸν θεσμὸν παρεκρούσατο, μηδὲν τῶν ῥηθέντων δρᾷν ἀνεχόμενος, ἀλλ᾽ ἀγρίου τινὸς δαίμονος ἐφόδιον, ἀνελεῖν αὐτὸν καὶ φονεύειν σπουδάζοντος ὑπονοῶν τῶν ἁγίων τὸ πρόσταγμα· ὡς δὲ καὶ τρίτον φανέντες οἱ μάρτυρες τὴν ἑαυτῶν ποιεῖν οὐκ ἔπεισαν κέλευσιν, καίτοι τῷ τρισσῷ πεισθέντα τῆς ὄψεως, αὐτῶν εἶναι τὸ θέσπισμα, ἐλθόντες τὸ τέταρ-

huius esca fugere immite periculum. Qui conversus, manu crucis signum in fronte pingebat, et malignam phantasiam existimans esse visionem, nil eorum quae dicta sunt egit.

Supplicanti vero et flenti sancti rursus in somnis apparentes, haec facere praeceperunt. At ille etiam hanc eandem legem parvipendit, nihil dictorum gerere passus, sed e contra efferi cuiusdam daemonis impetum, perdere se ac occidere festinantis, suspicabatur sanctorum imperium. Cum vero etiam tertio martyres apparentes, suam facere iussionem illi minime persuasissent, quamvis tertio visis credidisset vultibus, eorum illud

τον δι' οἶκτον ἀμέτρητον καὶ θείαν συμπάθειαν, ἐφ' ὅσον φασὶ τὸ λεχθέν σοι πολλάκις ποιεῖν οὐκ ἠθέλησας, εἰς τὴν ἡμετέραν πηγὴν πρωῒ ἀνιστάμενος ἔξιθι, καὶ τὸ ἐν αὐτῇ βρωτὸν εὑρισκόμενον ἀδιστάκτως μετάλαβε· καὶ τοῦτό σοι πρὸς πᾶσαν ἀρκέσει θεραπείας ἀπόλαυσιν.

Ὁ δὲ πρωῒας εἰς τὴν αὐτῶν πηγὴν ἐξελθὼν ὡς ἐκέλευσαν τῆς θύρας ὄπισθεν εὗρεν σύκιον κείμενον, καὶ λαβὼν αὐτὸ μετὰ πάσης σπουδῆς καὶ ἐφέσεως ἤσθιεν· ἐπὶ τὸ τέλος δὲ τοῦ συκίου γενόμενος, καὶ πάνυ αὐτοῦ τὴν μετάληψιν γλυκείαν ποιούμενος, ἀσπίδος ἀθρῶον ὁρᾷ τὸ λειπόμενον, καὶ τοῦτο θᾶττον ἀπολύσας εἰς ἔδα-

fuisse decretum; quarta vice propter immensam miserationem et compassionem venientes, quoniam quidem, aiunt, quod tibi multotiens dictum est, facere noluisti, ad fontem nostrum mane consurgens egredere, et quod in eo ad manducandum inveneris habile, inambigue sume, et hoc tibi sufficiet ad omnem curationem fruendum.

Qui cum mane sicut iusserant ad eorum fontem exisset, post ostium iacentem cucumerem repperit, quem acceptum cum studio ac desiderio manducabat. Cumque ad finem cucumeris iam iamque venisset, et valde dulcem perceptionem ipsius fecisset, aspidis videt extemplo residuum, quo velocius in pavimento proiecto, timuit ni-

φος, ἐδειλίασε λίαν ὡς πάντως τεθνήξεται· τὸ δὲ οὐκ ἦν ἀληθὲς, οὐδ᾽ ἀληθεῖ παραπλήσιον· σώζεται δὲ μᾶλλον τῷ βρώματι, καὶ ζῇ, καὶ διαφεύγει τὸν θάνατον· ὃν οὐκ ἂν διαπέφευγεν, εἰ μὴ βρῶμα θανάσιμον βέβρωκεν· εὐθέως γὰρ ἔκ τε τοῦ φόβου, ἔκ τε τῆς ἀηδίας πρὸς ἔμετον ἔρχεται, καὶ τῆς ἀσπίδος ὅσον ἔφαγεν ἀποβέβληκε· συνανενέγκας αὐτῷ καὶ ὅπερ ὀλέθριον πρότερον βέβρωκε φάρμακον· τῶν ἁγίων οὐ τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων κατὰ τοὺς ἀπὸ γῆς ἰατροὺς ποιουμένων ἰάματα, ἀλλ᾽ ἰωμένων τοῖς ὁμοίοις τὰ ὅμοια· οὐ γὰρ νόμοις ἰατρῶν ὑποκείμενοι, τούτοις τοὺς προσιόντας αὐτοῖς θεραπεύουσιν, ἀλλ᾽ οὐρανίῳ κρατοῦντες θεσπίσματι, παραδό-

mis, quasi foret hinc penitus moriturus. Quod tamen non erat verum, nec veritati consimile; potius autem salvatur esca et vivit, et effugit mortem quam profecto non effugisset, nisi escam mortiferam comedisset. Mox enim tam ex timore quam ex fastidio prorumpit in vomitum, et quantum aspidis manducavit, abiecit; cum eo simul educens et exitiale quod prius comederat veneficium; sanctis non contraria contrariorum secundum terrenos medicos remedia facientibus, sed similibus similia medelis sanantibus. Non enim medicorum legibus subditi, his accedentes ad se sanant, sed caelesti sanctione retenti, inopinatas atque divi-

ξους καὶ θείας τὰς ἰάσεις χαρίζονται· οὕτω μὲν οὖν ὁ Θεόδωρος λυτρωθεὶς τοῦ νοσήματος, καὶ τελείαν τὴν ῥῶσιν δρεψάμενος, εὐχαριστῶν ἀπελήλυθεν· ἡμεῖς δὲ τὴν περὶ αὐτοῦ διήγησιν ἐνθάδε σὺν εὐφημίᾳ περάναντες, ἑτέρας γραφὴν καὶ διήγησιν εὐφήμου πράξεως ποιησώμεθα.

κη. ΠΕΡΙ ΝΕΜΕΣΙΩΝΟΣ ΑΠΟ ΕΠΑΡΧΩΝ, ΚΑΙ ΦΩΤΕΙΝΟΥ ΑΠΟ ΟΜΜΑΤΩΝ.

Εἰς μέσον καὶ νῦν ὁ Νεμεσίων τῶν ἰαθέντων ἐλήλυθε, Φωτεινοῦ μὲν ἀπαγγέλλων τὴν ἴασιν, ἑαυτοῦ δὲ δηλῶν τὸ ἀνίατον· καὶ τῶν μὲν ἁγίων κηρύσσων τὴν δύναμιν, ἑαυτοῦ δὲ μηνύων τὴν ἄνοιαν· καὶ ταύτην τάχα μεμφόμενος ὡς τῆς

nas sanitates donant. Itaque sic Theodorus a languore liberatus, perfectamque sospitatem adeptus, persolutis gratiarum actionibus abiit. Nos autem narratione hic de eo cum laude finita, alterius scripturam et relationem actionis faciamus laudandae.

28. DE NEMESIONE EX PRAEFECTO ET PHOTINO CAECO.

In medium etiam nunc eorum qui sanati sunt Nemesio venit, Photini quidem pronuncians sanitatem, suam vero significans insanabilem passionem, sanctorumque virtutem praedicans, et

μαρτυρικῆς αὐτῷ γενομένην ἀρωγῆς παρεμπόδισμα. Λέξωμεν δὲ καὶ τὰ κατ᾽ αὐτὸν ὡς ἐμάθομεν· ἔστιν γὰρ οὐκ ἀνοφελὴς ἡ διήγησις, κἂν αὐτῷ γέγονεν ἀνοφελὴς ἡ πρὸς τοὺς μάρτυρας ἔλευσις. Εἷς καὶ οὗτος τῶν ἐν τέλει λαμπρῶν ἐγνωρίζετο, οὐκ ἀξίᾳ μόνῃ κοσμούμενος, ἀλλὰ καὶ πλούτῳ γαυρούμενος, καὶ τῇ περὶ πλοῦτον ῥεομένῃ φαιδρότητι· ἐπλεονέκτει δὲ τῶν μόνοις πλουτούντων τοῖς χρήμασι, σοφίᾳ λόγων ἑλληνικῶν, καὶ τοῖς ἐκ τούτων σπουδαζομένοις στομύλμασιν.

Ὧν ἐνεγκεῖν οὐ δυνηθεὶς τὴν ἀπόνοιαν, καὶ τὰ τὴν φρένα κολποῦντας φυσήματα, κατὰ τοῦ

amentiam suam insinuans, qua forte querebatur quasi martyrici sibi fuerit factum iuvaminis offendiculum. Dicamus autem et quae circa eum gesta sunt, sicut didicimus. Est enim non inutilis enarratio, licet ei suus ad martyres factus sit adventus inutilis. Unus et iste ex his qui inter principes clari habebantur, existere probabatur, non sola dignitate ornatus, sed et divitiis et decore qui circa divitias affluit elevatus; superabat autem eos qui soli locupletes sunt, pecuniis sapientiaque sermonum gentilium, et quae ex his studentur, versutiis.

Quorum iactantiam et elevantes sensum inflationes, ferre non valens, adversus universorum

τῶν ὅλων θεοῦ γραφικῶς εἰπεῖν ἐτραχηλίασεν· καὶ πάντων αὐτοῦ τῶν γενητῶν ὅσον τὸ ἐπ᾽ αὐτῷ συλήσας τὴν πρόνοιαν, ἀσῖρώᾳ κινήσει ταύτην προσέφερεν, καὶ τοῖς ἐκ ταύτης ἄλλ᾽ ἐπ᾽ ἄλλοις συμβαίνουσι σχήμασι τὰ καθ᾽ ἡμᾶς ἀνῆπτεν ὁ ἄθλιος· δούλους ἡμᾶς τοὺς ψυχῆς καὶ λόγου μετέχοντας καὶ κατ᾽ εἰκόνα κτισθέντας τοῦ κτίσαντος· καὶ ταύτῃ τιμηθέντας ἐλευθερίᾳ γνώμης καὶ βουλῆς αὐτηξουσιότητι· ἀψύχων ὁμοῦ καὶ λόγου χηρευόντων ἀστέρων, καὶ πάσης ἀμοιρούντων αἰσθήσεως καὶ βουλήσεως, τῶν δουλεύειν ταχθέντων τοὐναντίον τοῖς ἐπὶ γῆς καὶ θείοις, ἢ ὧν αἰδοῦντο προστάγμασι· καὶ

Deum, ut secundum scripturam fateamur, elevatus est, et omnium creaturarum eius quantum in se erat subtrahens providentiam, stellari hanc motui offerebat; et accedentibus habitudinibus quae ex ipso nonnumquam istis, nonnumquam aliis proveniunt, nostra quaeque miserrimus applicabat, servos nos faciens qui animae sumus elatioris participes, ad imaginemque creati creantis, et per hanc honorati libertate voluntatis, et proprietate arbitrii, stellis inanimalibus existentibus rationeque carentibus, atque omni sensu et motu voluntario destitutis; quae potius e contra servire iussae sunt his qui sunt super terram, et per divina nobis illucescere et apparere praecepta, et signi-

σημαινόντων μόνον καὶ χρόνου τὰ τμήματα, ἀέρων τροπὰς ὡς ὁ δι' ἡμᾶς κτίσας αὐτὰ θεὸς διετάξατο· φησὶν γὰρ ὁ τῆς τῶν ὅλων γενέσεως συγγραφεὺς καὶ διδάσκαλος τὴν τούτων ποίησιν ἐξηγούμενος· καὶ εἶπεν ὁ θεός· γενηθήτωσαν φωστῆρες ἐν τῷ στερεώματι τοῦ οὐρανοῦ εἰς φαῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς τοῦ διαχωρίζειν ἀνὰ μέσον τῆς νυκτὸς, καὶ ἔστωσαν εἰς σημεῖα, καὶ εἰς καιροὺς, καὶ εἰς ἡμέρας, καὶ εἰς ἐνιαυτούς· καὶ ἔστωσαν εἰς φαῦσιν ἐν τῷ στερεώματι, τοῦ οὐρανοῦ, ὥστε φαίνειν ἐπὶ τῆς γῆς· καὶ ἐγένετο οὕτως· καὶ οὔπω τοσοῦτον τοῦτον δεινὸν, ἀλλὰ καὶ τὸ τούτου πολὺ χαλεπώτερον· ἀστέρων γὰρ σχηματισμοῖς καὶ κινήσεσι τὸν πάντων ἔχων κτί-

ficare tantum eorum mutationes, ac temporum participationes, quemadmodum Deus disposuit, qui eas propter nos condidit. Ait enim omnium nativitatis descriptor atque magister, horum facturam enarrans: et dixit Deus, fiant luminaria in firmamento caeli, ut luceant super terram, et dividant inter diem et noctem, et sint in signa et tempora et dies et annos, et sint in lucem in firmamento caeli, et illuminent terram; et factum est ita. Et adhuc non solum hoc tantum malum, sed quod est et multo saevius et crudelius, stellarum habitudinibus ac motibus omnium creatorem servire credebat, et perducere nos (ad gene-

στην δουλεύοντα παράγειν ἡμᾶς ἐφρόνει πρὸς γένεσιν· τοσαύτην γὰρ ἡμᾶς οἱ ἀστρομανεῖς παρασχεῖν τὴν ἰσχὺν ἐπειράθησαν, ὡς μὴ μόνον ἀνθρώπων καὶ πάντων κρατεῖν τῶν ἐπὶ γῆς, οἱ καὶ τῶν ἀστέρων ὄντες ἀναισθητότεροι· ἀλλὰ καὶ Θεοῦ τοῦ τὸ πᾶν σχεδιάσαντος, καὶ μόνῳ κελεύσματι πρὸς τὸ εἶναι τὸ μὴ ὂν παρενέγκαντος.

Ἀλλ' οἱ μὲν τῆς μανίας ταύτης εὑρέται καὶ προστάται γενόμενοι, οὐκ εἰς μακρὰν τῆς οἰκείας ἀθεΐας τὴν δίκην εὑρήσουσιν, καὶ τοσοῦτον δριμυτέραν καὶ μείζονα, ὅσον καὶ τῶν ἑπομένων αὐτοῖς τὸ πλῆθος ἐκτείνεται· τούτων γὰρ αἱ ἁμαρτίαι ὑπάρχουσι πρόδηλοι, καὶ τούτοις ἐπακολουθεῖν κατὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον εἰκότως

sim) sapiebat. Tantam quippe illis hii, qui in stellis insaniunt, fortitudinem praebere conati sunt, ut non solos homines et omnia quae sunt supra terram ab eis imperari, hii qui etiam stellis ipsis vere insensibiliores existunt, sed ut Deum teneri crederent qui universitatem compendio fecit, et sola iussione ut esset quod non erat eduxit.

Verum qui huius inventores et auctores vesaniae facti sunt, non longius impietatis suae poenam invenient, et tanto acriorem atque maiorem, quanto etiam sequentium illos extenditur multitudo. Horum namque peccata manifesta sunt, et haec nimirum subsequi secundum divinum aposto-

ἂν λέγοιντο, διὰ τὴν προφανῆ τῶν ἑπομένων ἀπώλειαν· οὐ μόνον γὰρ ἀθεΐας καθηγηταὶ τοῖς ἀθλίοις γεγόνασιν, ἀλλὰ καὶ τοῦ πλημμελεῖν καταθυμίως διδάσκαλοι· μήτε Θεὸν ἐφεστῶτα τοῖς πράγμασιν λέγοντες, μήτε δίκην εἶναι τῶν πραττομένων παρέχοντες, μήτε μὴν οἴκοθεν δρᾶν τὰ κατὰ γνώμην ἡμετέραν γιγνόμενα, ἀλλὰ κατ' ἀστρῴαν βούλησίν τε καὶ κίνησιν φράζοντες, καὶ ὡς ὁ ταύτης σχηματισμὸς ἀναγκάσειεν· καὶ πυρὶ μὴ σβεννυμένῳ μηδὲ τελευτῶντι τὸ σύνολον σκώληκι, τὸν ἑαυτὸν ποιητὴν καὶ τοῦδε τοῦ παντὸς γενεσιουργὸν παιδευθήσονται· ἐπειδὴ τοῦτον ἐνταῦθα ἐκ μεγέθους καὶ καλλονῆς κτισμάτων,

lum congrue dicta sunt, propter evidentem perditionem sequacium. Non enim tantum impietatis miseris illis effecti sunt praeceptores, verum etiam ad inhianter delinquendum sunt monstrati doctores, neque Deum adesse rebus dicentes, neque iudicium fore actuum concedentes, sed neque sponte nostra fieri quae per voluntatem nostram efficiuntur, sed per stellarem voluntatem et motum asseverantes, et sicut huius insubstantiva coëgerat habitudo. Qui quandoque igne qui non extinguitur, et qui non moritur penitus verme, factorem suum et huius universitatis geneseos operatorem erudiente cognoscent; quoniam hic eum ex magnitudine ac pulchritudine creaturarum secundum

ἀναλόγως θεωρεῖν οὐκ ἠθέλησαν· οὔτε τὸν ὀφθαλμοῖς ἀνθρώπων ἀόρατον τὸν ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς οἰκήμασι καθορώμενον καὶ νοούμενον καθορᾷν καὶ νοεῖν ἐπεθύμησαν· ἀλλ' ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία, καὶ φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν, καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα.

Νεμεσίων δ' ὁ ταύτης ἡμῖν τῆς διηγήσεως αἴτιος, ἐπ' αὐτὸν γὰρ πάλιν τρέψω τὸν κάλαμον, ἐν χριστιανοῖς φησὶν ἀριθμούμενος, καὶ τοῖς τὴν εἱμαρμένην εἰσάγουσιν ἀλογίστως ἑπόμενος, ἐντεῦθεν τῆς αὐτοῖς ἑτοιμασθείσης ἐπειρᾶτο κολάσεως· καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰκότως ἀφαιρεῖται τοῦ σώματος, δι' ὧν κακῶς τὰ κατ' οὐρανὸν ἀπεσκόπευσε, καὶ περιέργως ἑώρα τοῦ

rationem conspicere noluerunt, neque oculis hominum invisibilem, qui a creatione mundi per ea quae facta sunt, videtur et intelligitur, videre et intelligere cupiverunt. Sed et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes se enim esse sapientes, stulti facti sunt, et servierunt creaturae potius quam creatori.

Nemesio autem, qui huius nobis narrationis est auctor, ad ipsum enim convertam denuo calamum, inter christianos quasi connumeratus, sed hos qui fatum introducunt sine ratione sectatus, abhinc supplicio quod eis praeparatum est temtabatur:

χοροῦ τῶν ἀστέρων τὴν κίνησιν, λήθην λαβὼν τοῦ βαπτίσματος, καὶ πάντων ὧν ἐκεῖ τῷ Χριστῷ συνετέτακτο· παθὼν δὲ τῶν ὀμμάτων τὴν πήρωσιν, ἐμαρτύρησεν εὐθὺς τῇ γραφῇ τὴν ἀλήθειαν, δι' αὐτῶν ὧν ἡμάρτανε κολαζόμενος· ἀγνοήσας δὲ τῆς ἀβλεψίας τὸ αἴτιον, καὶ ὡς μάστιξ ἦν καὶ δεσμὸς ἀδίκου θεωρίας αὐτὸν τιμωρουμένη καὶ εἴργουσα, ἰατρῶν ἐπιλογὴν ἐπεδείκνυτο, τοὺς τούτων ἀγαθοὺς ἐπαγγελίᾳ μισθῶν ἀγαθῶν ἀφελκόμενος· ἀλλ' οὐδὲν ἐκ τῆς περὶ τούτους αὐτῷ σπουδῆς περιγέγονε· τυφλὸς γὰρ οὐχ ἧττον διέμεινεν, καὶ τούτων συχνοὺς τοὺς ὁρμαθοὺς προσδεχόμενος.

(atque oculis merito privatus est, quibus caelum perverse observabat, curioseque siderei chori motum inspiciebat *;) in oblivionem baptismate sumpto, et omnibus quae ibidem Christo spoponderat. Oculorum autem orbationem perpessus, testimonium veritatis mox scripturae perhibuit, dum per eos, per quos peccaverat, puniretur. Ignorans autem caecitatis causam, et quod flagellum esset iniusti visus, et vinculum se puniens et impediens, medicorum elegantissimos adhibebat, et horum optimos optimarum repromissione mercedum attrahit; sed et nihil ex studio quod sibi circa hos inerat prorsus optinuit; caecus enim nihilominus permanebat, etiam horum frequentibus seriebus admissis.

* haec desunt in cod. lat.

Καί τοι τούτων οὐδὲν ἔδει ποιεῖν τὸν εἱμαρμένην ἀναιδῶς δογματίζοντα, καὶ πάντων αὐτὴν ἀναγκαστικὴν καὶ προάγγελον τῶν γινομένων δοξάζοντα· εἰ μὲν γὰρ ἀκριβῶς ἐκ τῆς περὶ ταύτην ἐπιστήμης ἠπίστατο ὡς πάντως ῥωσθήσεται, καὶ ταύτην πάλιν θεάσοιτο, καὶ τὴν ἀστρῷαν αὖθις ὄψοιτο κίνησιν, οὐκ ἐχρὴν ἰατροὺς προσλαμβάνεσθαι, καὶ τὴν ῥῶσιν αὐτῷ δημιουργήσειν ὀφείλοντας, ἀλλ᾽ ἀναμένειν ταύτης τὸ θέσπισμα καὶ χωρὶς ἰατρῶν ἀφικνούμενον· ἀπαράβατα γὰρ αὐτοῖς τὰ τῆς εἱμαρμένης βροντᾷ τὰ κομψεύματα, καὶ βουλομένων πάντως ἐκβαίνοντα· εἰ δὲ τὴν ῥῶσιν αὐτῷ μηδαμῶς προσηγόρευσεν, ἀλλὰ καὶ παντελῶς ἀπεφήνα-

Quamquam nihil horum facere oporteret eum qui fatum sine pudore dogmatum dogmatizabat, et cunctorum quae fierent coactitium illud et praesagum praedicabat. Denique si certissime per hanc disciplinam quae circa fatum est credebat se omnino sanandum, et hoc rursus visurum, stellaremque iterum motum conspecturum, non oportebat medicos admittere qui sibi deberent sanitatem concedere, sed huius expectare decretum etiam medicis exceptis venturum. Sine praevaricatione quippe ab eis intonant fati persuadibilia verba, si nobis et volentibus et nolentibus accidant. At vero si sanitatem sibi non contulit, sed et pe-

το, τί τοὺς ἀσκληπιάδας συνήθροιζε, καὶ δι' αὐτῶν ἐπολέμει τὴν γένεσιν; εἰδὼς ὡς πρὸς αὐτῆς νικηθήσεται, κἂν τὸν Ἀσκλήπιον αὐτὸν ἐπιφέροιτο σύμμαχον· ἀλλὰ πρόδηλος ἦν ἐλπίδα ῥώσεως ἐκ τῶν ἰατρῶν * εἰσδεξάμενος, εἰ καὶ περὶ τὴν κλῆσιν τῶν ἰατρῶν ἀπεσφάλλετο, ταχύτερον τάχα ἢ προετεθέσπιστο τὰς ὄψεις ἀναλαβεῖν ὀρεγόμενος.

* Anastasius legebat ἀστέρων.

Ὡς δὲ πολὺν εἰς αὐτοὺς καιρὸν καὶ μισθὸν ἐδαπάνησεν, καὶ οὔτε πρὸς αὐτῶν ὠφέλειαν τὴν οἱανοῦν ἐκομίζετο, οὔτε τῆς εἱμαρμένης ἐπληροῦτο τὸ πρόσταγμα, πρὸς Κῦρον ἐλθεῖν καὶ Ἰωάννην τοὺς μάρτυρας ἔκρινε, δι' αὐτῶν ἴσως οἰηθεὶς ταύτης τελεῖσθαι τὸ θέσπισμα· ἀλλ'

nitus abstulit, ut quid asclepiadas congregabat (ac per eos genesim oppugnabat *)? sciens quod ab ipsa vinceretur, si ipsum etiam Asclepium adiutorem asciscerct. Verum perspicuum erat, quod spem sanitatis a sideribus sumpserit, licet circa vocationem medicorum deciperetur, citius forte quam praedestinatus esset, visus recipere cupiens.

* haec desunt in lat.

Cum autem multum in eos tempus et mercedis stipendium consumpsisset, et neque ab eis profectum quemlibet percepisset, neque fati praeceptum completum fuisset, ad Cyrum et Iohannem venire martyras iudicavit, per hos fortassis opinatus huius forte decretum perficiendum. Sed ap-

ὤφθη κἀνταῦθα πλανώμενος, καὶ σὺν αὐτῷ πλανώμενα τὰ τῶν μοιρῶν ἄκλωστα νήματα· γεγονὼς γὰρ κατὰ τὸ τέμενος, τοὺς ἁγίους ἴσως ἱκέτευε, τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῷ χαρίσασθαι βλέποντας, καὶ τῆς εἱμαρμένης πληρῶσαι τὸ θέσπισμα, ἵνα ταύτῃ τὴν ῥῶσιν τῶν ὀμμάτων ἀνάθηται, ἀγνωμονήσας τοὺς ταύτην ἐνεργήσαντας μάρτυρας· ὅπερ ἂν διεπράξατο, εἰ τὴν αἴτησιν ἦν κομισάμενος· οἱ δὲ μάρτυρες τοιοῦτο μὲν οὐδὲν ὧν ὁ Νεμεσίων ἤθελεν ἔδρασαν· πλῆξαι δὲ θέλοντες τὸν ἀνόητον καὶ δεῖξαι τῆς ἀπιστίας καὶ τῆς πίστεως τὸ διάφορον, τοιοῦτό τι διαπράττονται.

Φωτεινός τις τῶν λίαν εὐτελῶν ὃς τὰς ὀπώρας πρὸς τοῦ νεῶ τῶν ἁγίων τριῶν παίδων ἐπί-

paruit etiam hic errasse fatorum habens filamina torta. Cum enim ad templum venisset, sanctos forsitan precabatur oculos sibi donare videntes, et fati adimplere decretum, ut huic sanitatem luminum ascriberet, ingratitudinem circa martyras qui hanc essent operaturi demonstrans; quod plane gessisset, si petitionis percepisset effectum. At vero martyres ex his, quae Nemesio voluit, nihil tale gesserunt; verum percellere insensatum volentes, et infidelitatis ac fidei ostendere differentiam, tale quid operantur.

Photinus ex valde vilibus quidam poma ante

πρασκε, τῶν σωματικῶν ὀφθαλμῶν ἀπωλέσας τὴν ὅρασιν κατ᾽ ἐκεινοκαιροῦ Κύρῳ καὶ Ἰωάννῃ τοῖς ἁγίοις προσήδρευε, ταύτην ἀναλαβεῖν διὰ τῆς αὐτῶν ὀρεγόμενος χάριτος· τούτῳ καθ᾽ ὕπνους ὀφθέντες οἱ μάρτυρες, ἄπιθι φασὶ πρὸς Νεμεσίωνα, καὶ μόνον σου τὰς χεῖρας ἐπιθήσει τοῖς ὄμμασιν, καὶ τὴν ῥῶσιν εὐθέως κομίσει, καὶ τὸ φῶς θεάσει τοῦ πάλαι λαμπρότερον· ὁ δὲ τοῦτο πρὸς τῶν ἁγίων πυθόμενος, εἰς προὔπτον εἰπεῖν ἐδεδίει τὸν ἄνθρωπον, τῆς ἀξίας ἐννοῶν τὸ ὑπέρογκον, καὶ τοῦ πλούτου τὴν ὑπεροψίαν σταθμώμενος· ὡς δὲ καὶ δὶς καὶ τρὶς τοῦτο δρᾷν τοὺς ἁγίους ἴδε κελεύοντας, τισὶ τῶν ἀνὰ τὸν νεὼν τὸ φανὲν εἰπεῖν ἀπετόλμησε· οἱ δὲ

basilicam sanctorum trium puerorum vendebat, corporalium visu oculorum amisso, per idem tempus Cyro et Iohanni sanctis haerebat, hunc recipere per eorum desiderans gratiam. Huic in somnis martyres apparentes, vade inquiunt ad Nemesionem, qui cum tantum manus super oculos tuos posuerit, et sanitatem confestim recipies, et lumen priori clarius contemplaberis. Qui hoc a sanctis audito, palam dixit se metuere hominem, dignitatis molem considerans, et divitiarum superbiam pensans. Cum autem bis et ter hoc gerendum, qui sibi apparuerant sanctos iubentes vidisset, quibusdam dicere qui erant in templo prae-

πρὸς Κῦρον τὸν δικολόγον γενόμενοι, τὸν σοφὸν ὁμοῦ καὶ φιλόχριστον, τότε τῷ τῶν ἁγίων σηκῷ διατρίβοντα, τὸν καὶ ταῦτα ἡμῖν ἀπαγγείλαντα, τὸ τῷ Φωτεινῷ φανὲν ἀπαγγέλλουσιν· ὃς πρὸς τὸν ἄνδρα σπουδαίως γενόμενος, τὴν τῶν ἁγίων ἐμήνυσε κέλευσιν· καὶ ταύτην πληροῦν πολλοῖς χρησάμενος πέπεικε ῥήμασιν, ἑαυτὸν ἁμαρτωλὸν ὀνομάζων, καὶ πρὸς τοιαύτης πράξεως ἐγχείρησιν δυσχεραίνοντα.

Ἐλθὼν οὖν ὁ Νεμεσίων καὶ τῶν ἁγίων τὰς πρὸ τοῦ μνήματος, καὶ πολλὰ μετὰ δακρύων εὐξάμενος, τῆς τε σοροῦ τῶν λειψάνων, καὶ τῆς μήλης τῶν ἁγίων ἁψάμενος, οὕτω τὰς χεῖρας ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς Φωτεινοῦ παρόντος ἐπέθη-

sumpsit. At illi ad Cyrum causidicum, virum sapientem pariter et philochristum, qui tunc in sanctorum degebat basilica, qui etiam ista nobis recensuit, venientes, quod Photino fuerat visum annuntiant; qui ad virum celeriter veniens sanctorum iussionem innotuit, et hanc adimplere multis usus fuit sermonibus; cui se ille peccatorem nominabat, et ad tantae actionis conatum, invalidum.

Veniens ergo Nemesio, et sanctorum ante monumentum assistens, et multum cum lacrimis orans, cum tam sepulchrum cadaverum quam melen sanctorum tetigisset, manus super oculos Photini

κεν· ὁ δὲ τῆς ἀφῆς τῶν ἐκείνου χειρῶν μόνον ὡς ᾔσθετο, εὐθέως ἀνέβλεψεν, καὶ πάντας μὲν πρὸς αἶνον ἐκίνησεν, Νεμεσίωνα δὲ καὶ πρὸς πλείονα δάκρυα μηδὲν ὀφελοῦντα τὸν κλαίοντα, ἐπειδὴ μὴ καὶ τὴν γνώμην μετέβαλεν· ὅθεν Νεμεσίων μὲν εἰκότως Ἡσαΐου τοῦ προφήτου πρὸς αὐτὸν ὀνειδιστικώτερον ἤκουε λέγοντος· στήτωσαν δὴ καὶ σωσάτωσάν σε οἱ ἀστρολόγοι τοῦ οὐρανοῦ, οἱ ὁρῶντες τοὺς ἀστέρας ἀναγγειλάτωσάν σοι τί μέλλει ἔρχεσθαι ἐπὶ σέ. Φωτεινὸς δὲ τοῦ σωτῆρος βοῶντος καὶ πρὸς αὐτὸν ἐπυνθάνετο, πορεύου εἰς εἰρήνην, ἡ πίστις σου σέσωκέν σε. Φωτεινὸς μὲν οὖν τὰς εὐχαριστίας θεῷ προσνείμας καὶ μάρτυσι, χαίρων ἀπῴχετο. Νεμεσίων δὲ

praesentis imposuit. At ille cum manuum tantum eius tactum sensisset, protinus vidit, et omnes quidem ad laudem commovit, Nemesionem vero etiam ad lacrimas multas nihil adiuvantes plorantem, quia forte nec mentem mutaverat. Unde Nemesio quidem convenienter Isaiam ad se affectu exprobrantis audiebat dicentem: stent nunc et salvam te faciant astrologi caeli; qui vident stellas, annuntient tibi quid venturum sit super te. Photinus vero Salvatorem etiam ad se clamantem audiebat: vade in pace, fides tua te salvum fecit. Itaque Photinus quidem gratiarum Deo actionibus impensis, gaudens recessit. Nemesio autem

τάχα μὴ βλαβεὶς ἐκ τοῦ θαύματος, μέρος τί τοῦ τοίχου πλησίον τοῦ μνήματος μαρμάροις ἐκόσμησεν, Χριστὸν ἐν ταύταις καὶ Ἰωάννην τὸν βαπτιστήν τε καὶ πρόδρομον καὶ Κῦρον τυπώσας τὸν μάρτυρα, καὶ ἑαυτὸν τὴν ἐπὶ τούτῳ χάριν κηρύττοντα· ἡμεῖς δὲ τὰ κατ' αὐτοὺς ἀφηγησάμενοι, καὶ τῶν ἁγίων τὸ δυνατὸν ὁμοῦ καὶ χαρίεν μηνύσαντες, καὶ διὰ τοῦτο πάλιν αὐτοὺς ἀνυμνήσαντες, ἐπ' ἄλλας αὐτῶν θαυμασιωτάτας διηγήσεις προΐωμεν.

κθ. ΠΕΡΙ ΑΘΑΝΑΣΙΑΣ ΑΠΙΣΤΟΥΣΗΣ ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΑΓΙΟΥΣ ΚΥΡΟΝ ΚΑΙ ΙΩΑΝΝΗΝ ΤΟΥΣ ΜΑΡΤΥΡΑΣ.

Εἰρηκότες ἐν τοῖς προλαβοῦσι μεμνήμεθα ὡς

forte de miraculo nihil laesionis incurrens, partem aliquam parietis iuxta monumentum marmoribus adornavit, Christum in his et Iohannem baptistam ac praecursorem, Cyrumque martyrem, sed et se factam super hoc gratiam praedicantem depingens. Nos autem, quae circa illos gesta sunt referentes, et sanctorum potentatum simul et gratulationem denuntiantes, et hac pro causa eos denuo collaudantes, ad alias eorum mirabiles valde narrationes procedimus.

29. DE ATHANASIA QUAE NON CREDIDIT SANCTIS CYRO ET IOHANNI MARTYRIBUS.

Dixisse nos in praecedentibus recordamur, quod

δύο ἢ καὶ τρία διηγήματα γράψωμεν, δι' ὧν καὶ τὸ σύντονον καὶ στυπτικὸν τῶν ἁγίων γνωσθήσεται, πρὸς τὴν τῶν ῥαθυμοτέρων ὠφέλειαν, καὶ τὴν τῶν σπουδαιοτέρων ἀσφάλειαν, ὅπως ἑκάτεροι μάθοιεν, ὡς οὐ μόνον εὐεργετεῖν τοὺς ἀρίστους ἐπιστάμενοι, ἀλλὰ καὶ κολάζειν τοὺς χείρονας, κἀν τούτῳ Χριστὸν τὸν ἑαυτῶν δεσπότην μιμούμενοι, τὸν πᾶσι μὲν τὴν ἑαυτοῦ βασιλείαν ἁπλώσαντα, οὐ πᾶσι δὲ ταύτην ἁπλῶς παρεχόμενον· ἀλλὰ ταύτην μὲν τοῖς ὑπακούουσιν αὐτοῦ τῷ κηρύγματι, καὶ τὴν πίστιν ἔργῳ καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ διανύουσι· τοῖς δὲ μὴ τοιούτοις, ἀκοίμητον σκώληκα καὶ γέενναν αἰώνιον, καὶ σκότος ἐξώτερον· καὶ πρὸς μὲν τοὺς

duas vel tres relationes essemus scripturi, per quas et instantia et severitas sanctorum agnosceretur, tam ad desidiosorum utilitatem, quam ad studiosorum securitatem; quatinus utrique discant quod non solum bene facere bonis, sed et poenas inferre noverint malis; in hoc quoque Christum dominum suum imitantes, qui omnibus quidem regnum suum expandit, non tamen omnibus id absolute concedit, sed quidem hoc his qui obaudiunt praedicationem suam, et fidem operibus custodiunt, ac mandata eius omni virtute perficiunt; his vero, qui tales non sunt, non dormientem vermem, et gehennam aeternam, et te-

δεξιοὺς, δεῦτε κληρονομήσατε λέγοντα· πρὸς δὲ τοὺς ἀριστεροὺς, ἀπέλθετε ἀπ' ἐμοῦ εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον κράζοντα· καὶ διὰ Ἠσαΐου τοῦ προφήτου πρὸς πάντας ὁμοίως φθεγξάμενον, ἐὰν θέλητε καὶ εἰσακούσητέ μου, τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς φάγεσθε· ἐὰν δὲ μὴ θέλητε μηδὲ εἰσακούσητέ μου, μάχαιρα ὑμᾶς κατέδεται· τὸ γὰρ στόμα φησὶν κυρίου παντοκράτορος ἐλάλησεν ταῦτα· μηδεὶς οὖν ὡς αὐστηροὺς τοὺς ἁγίους μωμήσηται, μηδ' ἀπηνεῖς καὶ σκληροὺς ὑποπτεύσειεν, οἱ τοῦ δεσπόζοντος ἀκολουθοῦντες τοῖς ἴχνεσιν εὐεργετοῦσι μὲν τοὺς ἐχέφρονας, τιμωροῦνται δὲ τοὺς ἀλάστορας· καὶ τοῦτο γὰρ πρὸς ὠφέλειαν, ὡς ὁ κοινὸς πάντων διδάσκαλος, πράτ-

nebras exteriores. Et ad eos quidem, qui a dextris sunt, venite, hereditatem possidete, dicitur; ad eos vero, qui a sinistris sunt, discedite a me in ignem aeternum, clamat. Et per Isaiam quondam prophetam ad omnes simili modo affatus; si volueritis, et audieritis me, ait, (terrae bona manducabitis; quod si nolueritis, neque audieritis me *) gladius devorabit vos. Os enim Domini omnipotentis, inquit, locutum est ista. Nemo ergo quasi severos sanctos denotet, sed neque crudeles et duros existere suspicetur, si dominantis sequentes vestigia, bene quidem faciunt prudentibus, et puniunt sceleratos; verum et hoc ad utilita-

* haec desunt in cod. lat.

τουσιν, εἰ συνειδεῖν δυνηθεῖεν καὶ μετάνοιαν ἀγαθὴν ἐπιδείξασθαι οἱ τὰς αὐτῶν ὑπομένοντες μάστιγας· ὡς δείξουσι σὺν θεῷ τὰ λεγόμενα, ὅτι τοὺς μὲν μεταγνόντας ἠλέησαν, τοὺς δὲ μὴ μεταγνόντας ἀπώλεσαν· οὐ γὰρ ἦσαν ἀπανθρωπείας μαθηταὶ καὶ γεννήματα, ὡς τοὺς μετανοοῦντας μὴ δέχεσθαι, ἀλλὰ φιλανθρωπίας υἱοὶ καὶ βλαστήματα γνήσια.

Ἡκέτω τοίνυν εἰς μέσον Ἀθανασία τὸ γύναιον, καὶ μαρτυρείτω πρώτη τῶν μαρτύρων τὸ κολαστικὸν πρὸς τοὺς πταίοντας, καὶ τὸ πρὸς τοὺς μετανοοῦντας εὐεργετικὸν καὶ φιλάνθρωπον· αὕτη τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ διαφανῶν εὐφη-

tem, sicut ille quoque communis agit magister, efficiunt; si considerare possunt et paenitentiam bonam ostendere, hii qui eorum flagella tolerant, ut ostensura sunt quae Deo iuvante dicuntur. Quoniam eorum, qui paenitentiam egerunt, miserti sunt; eos vero qui non egerunt paenitentiam, perdiderunt. Non enim sunt inhumanitatis discipuli vel genimina, ut paenitentes minus recipiant, sed humanitatis filii simul et germina.

Veniat igitur in medium Athanasia muliercula, et testimonium prima perhibeat super sanctorum poenis in peccantes exhibitis, nec non et beneficio ac misericordia erga paenitentiam agentes ostensis. Haec fama celebris habebatur inter illustres

μίζετο· Μαρκελλίνου γυνὴ γὰρ ἐτύγχανεν, οὗ πρὸ βραχέως ἐμνήσθημεν, ὅτε τῆς Ἰουλιανῆς τὴν ῥῶσιν ἐγράφομεν· καὶ πλούτῳ γηΐνῳ διέπρεπεν, καὶ γονέων ἐστεφανοῦτο λαμπρότητι· ἐν τούτοις δὲ πᾶσι τοῖς κοσμικοῖς σεμνυνομένη χαρίσμασιν, κατὰ ψυχὴν χαλεπῶς ἐσκοτίζετο, τὴν εἰς Κῦρον καὶ Ἰωάννην πίστιν οὐκ ἔχουσα· ὅθεν αὐτοὺς ἐκωμῴδει συχνότερον, καὶ μὴ εἶναι μάρτυρας ἔλεγεν, μηδὲ διὰ Χριστὸν ἠθληκέναι ἢ παθεῖν ἀπεφήνατο, ὃ τῆς ἐσχάτης ἐστὶν ἀθλιότητος.

Εἴτε δὲ πλάνῃ τινὶ κρατουμένη καὶ φάσμασιν ἑλληνικοῖς ὑποκλίνουσα, οὕτω τοὺς ἁγίους

Alexandriae feminas, Marcellini enim uxor erat, cuius paulo ante memoriam fecimus, cum Iulianae sanitatem describeremus; divitiis terrenis decorata, parentumque claritate coronata. Verum cum his omnibus mundi charismatibus esset venusta, secundum animam tamen saevius manebat obscura, erga Cyrum atque Iohannem fidem non habens, unde illos crebrius deridebat, et non esse martyres asserebat, neque propter Christum decertasse vel passos fuisse pronuntiabat, quod est extremae miseriae.

Sive autem errore quodam detenta, sive gentilibus praestigiis perturbata, sanctis taliter detraheret; sive sensus et cordis simplicitate, eo

διέσυρεν, εἴτε δὲ φρενὸς καὶ καρδίας ἁπλότητι, διὰ τὸ μὴ φέρεσθαι γραφὴν τὴν ὑπὲρ Χριστοῦ καὶ τὴν μαρτυρίαν ἡμῖν ἀπαγγέλλουσαν, μόνην δὲ τοῦτο βοᾷν τοῦ Κυρίλλου τοῦ θείου θεόπνευστον σάλπιγγα (1) λέγειν οὐ δύναμαι· πλὴν ἑκάτερον ἀσεβὲς καὶ ἀπαίδευτον· εἰ μὲν γὰρ κατὰ τρόπον τὸν πρότερον ἐδυσφήμει τοὺς μάρτυρας, πρόδηλον ὡς δυσσεβείας τοῦτο καὶ πλάνης ἐπίμεστον· εἰ δὲ κατὰ τὸν δεύτερον, ὃν ὑποπτεύομεν, τιμωρίας ἄξια καὶ μέμψεως· εἰ γὰρ μόνους σχοίημεν μάρτυρας οὓς ἐν ὑπομνήμασιν ἔχομεν, ἄρα Χριστὸς δωρεὰν ἀπέθανεν, ὀλίγους αὐτοῦ τῶν παθῶν κοινωνοὺς ποιησά-

quod non ferebatur scriptura quae hoc indicaret, nec certamen nobis eorum pro Christo sumptum et testimonium referret, nisi sola divinitus inspirata Cyrilli acclamatio, sacratissima salpinx, dicere nequeo. Verumtamen utrumque impium simul est et indisciplinatione refertum. Denique si secundum priorem quidem modum martyribus derogabat, manifestum est quod impietate sit hoc et errore plenum; si vero secundum posteriorem, quem et conicimus, et sic est poena et reprehensione dignissima. Si enim solos illos martyres habuerimus, quos in monumentis habemus, ergo Christus mortuus gratis est, paucos communicato-

(1) Intellige Cyrilli sermunculos, de quibus non alibi.

μενος· ὀλίγοι γὰρ οὗτοι πάνυ τυγχάνουσιν· ἐν κινδύνοις δὲ καὶ ἡμεῖς γενησόμεθα, μὴ μυριάσι μαρτύρων φρουρούμενοι, καὶ ταῖς οἰκείων αἱμάτων προσχύσεσι, ὑπὲρ ἡμῶν τὸν Χριστὸν πρεσβεύοντας ἔχοντες· εἰ γὰρ καὶ μηδόλως εἰσὶν ὑπομνήματα, ἵνα καὶ τὴν Κυρίλλου παρήσω διάλεξιν τὸ πᾶν ἀρκοῦσαν πιστώσασθαι τὰ τοὺς ἀγῶνας τῶν ἁγίων κηρύττοντα, καὶ τὴν κλῆσιν αὐτῶν ὑποφαίνοντα, τὸ πλῆθος ἐχρῆν τῶν δυνάμεων τῶν δι᾽ αὐτῶν ἀδιαλείπτως γινόμενον, παρασχεῖν αὐτοῖς μαρτύρων ὑπόληψιν· εἰ γὰρ ἔργα μαρτύρων οὐ πράττουσιν, καὶ χαρίσματα δυνάμεων οὐκ εἰλήφασιν, δι᾽ ὧν τοὺς ἀσθενοῦντας ῥωννύουσιν, εἰ καὶ ἡμῖν οὐ δοκεῖ,

res suarum faciens passionum; pauci enim valde sunt isti. Sed et nos periclitabimur, nisi milibus martyrum muniamur, qui sanguinis proprii fusionibus apud Christum intercedant pro nobis. Quippe cum, et si omnino monumenta minus consisterent, ut Cyrilli quoque disputationem omittam quae universitatem certam reddere sufficit, quae sanctorum agones praedicarent, certamenque declararent; multitudinem oporteret virtutum quae per eos indesinenter efficiuntur, praebere illis martyrum existimationem. Si enim opera martyrum non operantur, et charismata virtutum non perceperunt, per quae infirmos ro-

οὔτε γὰρ ταύτης τῆς δόξης ὑπάρχομεν· πλὴν παρ' αὐτοῖς μὴ λεγέσθωσαν μάρτυρες· εἰ δὲ καὶ μαρτύρων πλεῖον ἐνεργοῦσι τεράστια, τίνι λόγῳ μὴ λέγονται μάρτυρες;

Καὶ μάλιστα τοῦ σωτῆρος εἰπόντος πρὸς ἰουδαίους τοὺς εἰς αὐτὸν μὴ πιστεύοντας· εἰ μὴ ποιῶ τὰ ἔργα τοῦ πατρός μου, μὴ πιστεύετέ μοι· εἰ δὲ ποιῶ τὰ ἔργα, κἂν ἐμοὶ μὴ πιστεύετε, τοῖς ἔργοις μου πιστεύετε· καὶ δεδωκότος ἡμῖν ἀπλανῆ καὶ βεβαίαν διάνοιαν καὶ μηδέποτε ψευδομένην διάκρισιν, ἀπὸ τῶν ἔργων τοὺς ἐνεργοῦντας στοχάζεσθαι· ἀπὸ γὰρ τῶν ἔργων αὐτῶν φησιν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς· καὶ ἀπὸ τοῦ καρποῦ

borent, licet nobis non sic videatur, neque enim
* cod. gloriae. huius opinionis * sumus; attamen apud eos martyres non dicantur. Quod si plusquam martyres operantur miracula, qua ratione martyres non sunt dicendi?

Praesertim cum Salvator ad Iudaeos qui non credebant in eum edixerit: si non facio opera patris mei, nolite credere mihi; si autem facio opera, et si mihi non creditis, operibus meis credite: et dederit nobis non errantem sed stabilem mentem, nunquamque fallentem discretionem ab operibus operatores considerandi: ab operibus enim eorum cognoscetis inquit eos, et a fructu arbor cognoscitur. Stultum autem vere consistit,

τὸ δένδρον γινώσκεται· εὔηθες δὲ τοῦτο καθέστηκεν· εἰ ὁ τυφλὸς μὲν ἰαθεὶς τούτων οὐκ ἀκούσας ἐπέγνω τὸν κύριον, καὶ θεοῦ τὴν ἐνέργειαν ἤκουσεν· εἰ μὴ γὰρ ἦν οὗτος φησὶν ἀπὸ θεοῦ, οὐκ ἠδύνατο ποιεῖν οὐδέν· ἡμεῖς δὲ τούτων καθ' ὥραν ἀκούοντες τοὺς τυφλοὺς ἡμᾶς ἔσεσθαι μέλλοντας θεραπεύσαντας, καὶ τοσαύτας ἡμῖν εὐεργεσίας δωρουμένου μὴ γνοίημεν; τί γάρ ἐστιν ὃ δρῶσι μὲν καὶ πράττουσι μάρτυρες, ἀδυνατοῦσι δὲ τοῦτο Κῦρος καὶ Ἰωάννης ἐργάσασθαι; οὐδέν· εἰ δέ τις δειξάτω προσελθὼν, καὶ τὴν ἀπολογίαν ὑφέξομεν· πλεῖον γάρ τι λέγειν οὐκ ἔχομεν, ὡς δρῶσιν οὗτοι τινὰ ἃ μὴ δρῶσιν ἕτεροι μάρτυρες· ὁμοίως γὰρ ἅπαντας τοὺς μάρτυρας

si caecus quidem sanus effectus, his non auditis cognovit Dominum, Deique operationem edixit: si non esset inquiens hic a Deo, non potuisset facere quicquam; et nos qui caeci fuerimus, hos per singulas horas audientes curare, et tot beneficia nobis praestare, non cognoscemus? Quid enim sit quod gerant, agantque martyres, et hoc Cyrus et Iohannes nequeant operari? Nos quidem nihil conicimus; si autem quis opinatus fuerit, accedat et ostendat, nosque rationem reddemus. Amplius enim quicquam dicere nolumus, qualiter agant isti quaedam quae non agant alii martyres. Simili quippe modo universos martyres colimus, tam vi-

σέβομεν, καὶ τοὺς θαύματα πράττοντας, καὶ τοὺς οὐ πράττοντας θαύματα· καὶ λέγειν ὑπὲρ ἁγίων οὐ καταλέγειν ἁγίων σπουδάζομεν· ἡμεῖς μὲν οὖν οὕτω περὶ Κύρου καὶ Ἰωάννου τῶν ἁγίων μαρτύρων καὶ τοῦ λοιποῦ τῶν ἁγίων μαρτύρων στρατεύματος ἔχοιμεν τὲ καὶ ἕξομεν, καὶ πάντας οὕτω τοὺς ἐν πίστει προλάμποντας, φρονεῖν περὶ αὐτῶν καὶ πιστεύειν προτρέπομεν.

Ἀθανασία δὲ περὶ ἧς ὁ λόγος γεγένηται, οὐχ οὕτως τοὺς μάρτυρας σέβουσα, πρὸς δυσφημίας δεινὰς ἐξετρέπετο, πυκνότερον αὐτοὺς θεατρίζουσα, καὶ ἐν συντυχίαις ἀεὶ διαβάλλουσα· καὶ μὴ μόνον αὐτὴ μὴ λέγουσα μάρτυρας, ἀλλὰ καὶ τοὺς λέγειν ἐθέλοντας εἴργουσα· ἐπεὶ

delicet eos qui miracula operantur, quam qui non operantur miracula; et pro sanctis, non contra sanctos, loqui satagimus. Itaque nos quidem de sanctis Cyro et Iohanne martyribus et reliquo sanctorum martyrum exercitu, sic et causam habere tenemus, atque tenebimus; omnesque, qui taliter in fide praefulgent, sic sapere de illis et credere cohortamur.

Athanasia vero, de qua sermo se intulit, non sic martyres colens, ad blasphemias quasdam convertebatur, saepius super eis spectaculum faciens, et semper in confabulationibus detrahens; et non solum ipsa martyres eos non dicebat, sed et il-

οὖν ταύτης ἦν Ἀθανασία τῆς ὑπολήψεως, καὶ δόξαν τοιαύτην εἰς Κῦρον καὶ Ἰωάννην τοὺς ἁγίους ἐκέκτητο, καὶ πεῖραν ἔδει λαβεῖν τῆς τούτων δριμυτέρας παιδεύσεως, ἵνα μὴ μείνοι διηνεκῶς ἁμαρτάνουσα, ἀλλὰ μαθοῦσα σαφῶς τὴν ἀλήθειαν, τηλικαύτης μανίας ἐκφύγοι τὸν θάνατον· οὕτω φιλανθρωπίᾳ μαρτύρων τῶν πρὸς αὐτὴν δυσφημουμένων παιδεύεται· ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν ἐν ὅσῳ τοιαῦτα τισὶ κατὰ τὸν οἶκον αὐτῆς διελέγετο, καὶ τοὺς ἁγίους ἀσέμνως γελῶσα διέπαιζε, ψύλλα μία χανῶθεν πηδήσασα, ὡς τῶν ἁγίων ὑπερμαχοῦσα, δάκνει σφοδρῶς αὐτῆς τὸν ἀστράγαλον· ἣν ἡ γυνὴ κατασχεῖν κατανεύσασα, ἔμεινεν εὐθὺς ἐπὶ σχήματος, ἄνω

los qui volebant dicere prohibebat. Quia ergo huius erat existimationis, talemque opinionem in Cyrum et Iohannem sanctos habebat, et experientiam oportebat eam accipere acrioris horum correptionis, ut non remaneret iugiter peccans, sed cognita liquido veritate, tantae insaniae exiliret exitium; sic misericordia martyrum, qui ab ea blasphemabantur, corripitur. Quadam die cum talia quibusdam in domo sua disputaret, sanctisque inhoneste deridendo illuderet, pulex unus errans et saliens quasi pro sanctis pugnaturus mordet vehementer talum eius: quem mulier comprehendere volens, cum deorsum incurvata flecteretur, man-

νεῦσαι τὸ λοιπὸν οὐκ ἰσχύουσα, οὔτε τὴν ὄρθιον δύναμιν ἢ διάπλασιν ἥ τις μόνων ἀνθρώπων ἰδία καθέστηκεν ἐπιδείξασθαι· ἀλόγως γὰρ εἰς τοὺς μάρτυρας ἁμαρτάνουσα, ἀλόγων αὐτῆς διὰ τῆς εἰς τὰ κάτω νεύσεως σωφρονίζουσι σχήματι· ἐγένετο δὲ οὐκ ἀναλγήτως ἡ βάσανος, ἀλλ' ἔσχεν ὀδύνην τηλικαύτης τιμωρίας ἀκόλουθον· ὑφ' ἧς μαστιζομένη σφοδρώτατα πολυκλαύστοις φωναῖς τὰς κεκρυμμένας ἀλγηδόνας ὑπέφαινεν· ὧν ἀγνοοῦσα τὸ αἴτιον, καὶ τοῦτο γὰρ τῷ πλήθει τῆς δυσφημίας ἐκέρδαινεν, καὶ διαδράναι ποθοῦσα τὸν κίνδυνον, ὁρμαθοὺς ἰατρῶν μετεστέλλετο· οἱ δὲ προθύμως συνέῤῥεον, ἀδροτέρων μισθῶν προσδοκίαις γαυρούμενοι· ἀλ-

sit continuo in eadem inflexionis figura, sursum aspicere de cetero minime valens: neque enim erectam poterat, quod solum proprium est hominum, monstrare formationem; irrationabiliter enim peccantem in martyres, irrationabilium animantium per nutum deorsum facto corrigunt habitu. Fiebat autem non sine dolore tormentum, quod nimirum habuit tanto supplicio consequens; a quo valide verberata, multorum fletuum vocibus absconditos manifestabat dolores; quorum causam ignorans, et hoc enim multitudine blasphemiae lucrabatur; et effugere periculum cupiens, acies medicorum accersiebat *, qui alacri-

* ita cod.

λὰ ταύτης ἀπέπιπτον, ἀγνοοῦντες τοῦ πάθους τὸ αἴτιον, καὶ τί ποιεῖν οὐ γινώσκοντες.

Ὅτε δὲ δεόντως αὐτὴν μᾶλλόν δὲ φιλανθρώπως οἱ μάρτυρες ἔτυψαν, καὶ γνῶναι αὐτῶν ταῖς κολάσεσι τὴν ἀλκὴν παρεσκεύασαν, φαίνονται καθ' ὕπνον αὐτῇ παριστάμενοι, καὶ πραοτέροις ῥήμασι λέγοντες· ἐλθὲ πρὸς ἡμᾶς, εἰς οἶκον γὰρ ὑπῆρχε τὸν ἴδιον, καὶ τὴν ῥῶσιν ἡμεῖς σοι δωρούμεθα· ἡ δέ· τίνες γὰρ ὑμεῖς, πρὸς αὐτοὺς ἀπεκρίνατο, ὅτι τοσούτων ἰατρῶν πλεῖον ἰσχύετε; οἱ δέ· ἡμεῖς φησὶν ὦ γύναι τυγχάνομεν Κῦρος καὶ Ἰωάννης οἱ μάρτυρες, οἱ ἀεὶ παρὰ σου κωμῳδούμενοι· ἀλλ' εἰ μετὰ πίστεως εἰς οἶκον ἔλθοις ἡμέτερον, ἡμετέρου θᾶττον πει-

ter confluebant, grandium spe mercedum gloriantes; sed hac frustrabantur, passionis causam ignorantes, et quid facerent nescientes.

Cum autem hanc decenter immo misericorditer martyres severius arguissent, et ut eorum per illatas poenas virtutem cognosceret, peregissent, patenter in somnis astantes ei, mitioribusque verbis dicentes: veni ad nos, in domo enim sua erat, et sanitatem nos tibi donabimus; illa, et qui estis vos, respondebat ad eos, ut plus quam tot medici valeatis? Illi autem nos inquiunt, o mulier, Cyrus et Iohannes martyres sumus, qui semper a te deridebamur. Et si cum fide in domum vene-

ραθήσει δωρήματος, ὥσπερ ἐπειράθης καὶ μάστιγος· καὶ ταῦτα μὲν οἱ μάρτυρες εἰπόντες ἀπῴχοντο· ἡ δὲ τὸν ὕπνον εὐθέως ἐάσασα, Κῦρον ἐπεβόα τὸν ἅγιον καὶ Ἰωάννην τὸν Κύρου συμμάρτυρα, οὓς πρὸ βραχέως ἐτώθαζεν, καὶ πρὸς τούτους ἐλθεῖν κατεπείγετο, ἡ πρὸ μικροῦ τοὺς πρὸς αὐτοὺς ἐρχομένους ὑβρίζουσα.

Ἀλλ' ἆρα πρὸς αὐτοὺς ἐλθοῦσα τῆς ἐλπίδος ἀφήμαρτεν; οὐδαμῶς· πῶς γὰρ οἷόν τε ἦν τοὺς μάρτυρας ψεύσασθαι, μιμητὰς τοῦ σωτῆρος τυγχάνοντας; οἳ δεῖξαι τῷ γυναίῳ θελήσαντες τὴν ἀνυπέρβλητον αὐτῶν καὶ ἀνέφικτον δύναμιν, καὶ τὸ τῶν μαρτυρικῶν χαρισμάτων ὑπέρογκον, ὀξυτέραν τῆς μάστιγος τὴν ῥῶσιν

ris nostram, nostrum experieris donum, sicut experta es et flagellum. Et his martyres dictis, discesserunt. Illa vero somno dimisso, Cyrum invocabat sanctum, et Iohannem Cyri conmartyrem, quos ante paululum deridebat, et ad istos venire festinabat, quae ante modicum venientes ad illos, convitiis impetebat.

Sed putas cum eos advenisset, et spe frustrata est? nequaquam. Quomodo enim esse poterat ut martyres mentirentur, cum Salvatoris essent imitatores? Qui ostendere volentes mulieri incomparabilem et incomprehensibilem virtutem suam, et martyricorum charismatum magnitudinem, ve-

εἰργάσαντο· ταμιευσάμενοι γὰρ ἕως οὗ πρὸς αὐτοὺς παρεγένετο, ἅμα δὲ τὸν ἱερὸν ἐκεῖνον αὐτὴ βατῆρα τοῦ τεμένους ἐπάτησεν, τῆς συνεχούσης εὐθὺς ἀπηλλάττετο μάστιγος· καὶ τὸ κάτω νεύειν ἐκεῖσε προσρίψασα, ὀρθίῳ τῷ σχήματι τὸ μαρτύριον ὥδευεν· καὶ κατὰ φύσιν βαδίζουσα, χαριστηρίους φωνὰς τῆς τε παιδείας τῆς τε θεραπείας τοῖς ἁγίοις προσέφερεν· ὅθεν τῆς ἐφ' ἑκάτερα τούτων πειραθεῖσα δυνάμεως, θεραπείας λέγω καὶ μάστιγος, τῶν οὐ πειραθέντων πλέον αὐτοὺς ἐτίμα καὶ ἔσεβεν· καὶ οὐ μόνον μάρτυρας τούτους ἐκήρυττεν, ἀλλὰ καὶ τὰ πρῶτα φέρειν ἐν μάρτυσιν ἔλεγεν· ἐντεῦθεν πολλοῖς αὐτοὺς δάκρυσιν ἐμειλίξατο, καὶ πολλαῖς καὶ

lociorem sanitatem, quam flagellum fuerit, operati sunt. Verumtamen distulerunt hoc, donec ipsa veniret ad eos. Cum autem sacrum limen templi calcasset, a flagello quo tenebatur continuo liberata est, et illic proclivi curvatione proiecta, directo schemate per oratorium ambulabat, et naturaliter incedens, gratiarum voces tam pro castigatione quam pro curatione sanctis obtulit : unde in utroque horum experta virtutem, curatione scilicet et flagello, plus his qui experti non fuerant colebat eos et honorabat ; et non solum martyres hos praedicabat, sed et primatum gerere inter martyres asserebat. Hinc multis eos lacrimis pla-

πλουσίαις προσφοραῖς ἐθεράπευε, τῆς προτέρας ὕβρεως ἕνεκα, καὶ τῆς ὑστέρας πρὸς αὐτοὺς ἀγαπήσεως· καὶ οὕτω μὲν Ἀθανασία τῆς παιδείας ἀπώνατο, καὶ τὴν προτέραν ἀπείληφε τῇ μεταγνώσει παράνοιαν, τὰ πρέποντα περὶ τῶν ἁγίων φρονήσασα· ἡμεῖς δὲ τούτους ἀεὶ τιμῶντες καὶ σέβοντες, καὶ ὡς ἁγίους γεραίροντες μάρτυρας, καὶ τοῖς ὑπὲρ Χριστοῦ πεπονθόσι συντάττοντες, ἀξίως καὶ νῦν εὐφημήσαντες, ἄλλην διήγησιν γράψωμεν, δι' ἧς αὐτῶν καὶ τὸ στυπτικὸν καὶ τὸ εὔσπλαχνον παραπλησίως γνωσθήσεται, ὃ πάντας εὐεργετεῖ γιγνωσκόμενον τοὺς μὴ παρέργως τῶν λεγομένων ἀκούοντας.

cans, multis ac ditibus oblationibus laetificabat, tam prioris iniuriae quam posterioris dilectionis erga eos habitae causa. Et quidem sic Athanasia disciplina profecit, et priorem resipiscens amentiam diluit, decentia super sanctis de cetero sentiens. Nos autem his semper honore et cultu celebri habitis, et ut sanctis martyribus collaudatis, cumque his qui pro Christo passi sunt connumeratis, condigne hos etiam nunc laudemus, aliam relationem scribentes, per quam eorum et austeritas et misericordia pariter cognoscetur, quae omnibus beneficia praestare dinoscitur, qui non perfunctorie quae dicuntur audierint.

λ. ΠΕΡΙ ΓΕΣΙΟΥ ΤΟΥ ΙΑΤΡΟΣΟΦΙΣΤΟΥ.

Πάρεστι νῦν καὶ ὁ Γέσιος οὐ τεχνολογῶν τῶν ἁγίων τὰ φάρμακα, καὶ θεραπεύειν τοὺς πάσχοντας κατὰ θεσμὸν αὐτοὺς ἰατρικὸν βρενθυνόμενος, ἀλλὰ νοσῶν καὶ σφοδρῶς ὀδυνώμενος, καὶ τῆς θείας μετασχεῖν δωρεᾶς ὀρεγόμενος, ἧς ἀπολαύσας ἁδρότερον καὶ θεόθεν ἰᾶσθαι μαρτυρήσας τοὺς μάρτυρας, μηδὲν εἶναι τῶν ἰατρῶν τὰ κομψεύματα πρὸς τὴν τῶν ἁγίων ἀλκὴν ἀπεφήνατο· λέξωμεν τοίνυν αὐτοῦ τὴν ἀσθένειαν, καὶ τῆς ἀσθενείας τὸ αἴτιον, καὶ τὸ ταύτης χαριέστατον φάρμακον, κἂν εἰ αὐτὸς εἰς ἔτι καὶ νῦν ἐπαισχύνεται, καὶ φανεροῦσθαι πᾶσιν οὐ βούλεται γράμμασιν· σοφιστὴς ὁ Γέσιος ὑπῆρ-

30. DE GESIO IATROSOPHISTA.

Adest nunc etiam Gesius, non artificiose de sanctorum remediis disputans, nec eos curare patientes secundum iura medicinalia iactitans, sed languens et oppido dolens, divinaeque ipsorum donationis participari desiderans, qua magnifice fretus, et divinitus sanare martyres attestatus, nihil esse medicorum ambages ad comparationem illorum virtutis asserebat. Dicemus igitur infirmitatem eius, et infirmitatis materiam, huiusque gratum valde remedium, licet ipse hactenus et nunc erubescat, et manifestari omnibus minime

χε σοφώτατος, οὐ λόγους ῥητορικοὺς ἐξηγούμενος, καὶ διὰ τοῦτο φορῶν τὸ τριβώνιον, ἀλλὰ τέχνης ἰατρικῆς προϊστάμενος, καὶ ταύτης σὺν ἀκριβείᾳ διδάσκαλος τοῖς μανθάνουσι κατ' ἐκεῖνο καιροῦ γνωριζόμενος· οὗτος ὁ σοφὸς ἐν λόγοις αἰρόμενος, καὶ καλλίστοις ἰατροῖς ἰατρὸς φημιζόμενος, ἑλληνικῆς οὐκ ἦν ὁ τρισάθλιος δυσιδαιμονίας ἐλεύθερος, ὡς ἔλεγον οἱ σαφῶς τὰ κατ' αὐτὸν ἐπιστάμενοι, καὶ τὸ ἀκούσιον αὐτῶν ἐθριάμβευε βάπτισμα, ὅπερ ἀπειλὴν φοβηθεὶς βασιλικὴν ἐβαπτίσατο· καὶ τοῦ θείου λουτῆρος ἀνιὼν, τὸ ὁμηρικὸν ἐκεῖνο δυσσεβῶς ἀπεφθέγξατο " Αἴας δ' ἐξαπόλωλεν, ,, ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ ,,.

litteris velit. Sophista erat Gesius sapientissimus, non quod sermones rhetoricos enarraret, et tribo-
* ita cod. nem idcirco portaret, sed quod artis * medicinae praeesset, et huius cum diligentia magister per illud tempus discentibus cerneretur. Hic sapiens, qui verbis cantabatur, gentilis miserrimus superstitionis liber non erat, sicut hii dicebant qui quae illius sunt liquido noverant, et invitum suum publicabat baptismum, quo imperatorias metuens minas fuerit baptizatus, et cum a sacro lutere ascendisset, mox homericum illud carmen impie cecinit: Aiax autem disperiit, nam salsam bibit aquam.

Ταύτην οὖν καὶ μυηθεὶς τὰ θειότατα, κρύπτων παρ' ἑαυτῷ τὴν δυσσέβειαν, ἐκωμῴδει μὲν ἀεὶ χριστιανοὺς, ὡς τὸν Χριστὸν ἀλογώτατα σέβοντας, καὶ τοῖς ἐνθέοις αὐτοῦ νόμοις δουλεύοντας, ἄλλα τε πολλὰ βδελλυρῶς ἐρευγόμενος, κἀκ τοῦ πονηροῦ τῆς καρδίας θησαυροῦ τὰ πονηρὰ προφερόμενος ῥήματα· " ἀπὸ γὰρ τοῦ ,, τῆς καρδίας ἀληθῶς περισσεύματος, τὸ στό- ,, μα λαλεῖ τε καὶ φθέγγεται ,,· ἐκωμῴδει δὲ καὶ Κῦρον καὶ Ἰωάννην τοὺς μάρτυρας ὡς ἐκ τέχνης ἰατρικῆς θεραπεύοντας τὰ τῶν ἀνθρώπων νοσήματα, καὶ οὐκ ἐκ θείας τινὸς καὶ ὑπερτάτης δυνάμεως· πυνθανόμενος γὰρ τὰ τοῖς ἀσθενοῦσι πρὸς αὐτῶν προσταττόμενα φάρμακα, ἃ καὶ ἡμεῖς μερικῶς ἀνεγράψαμεν, ἰατρῶν εἶναι

Hanc ergo sacramentis initiatus apud se impietatem occultans, christianos deridebat, quasi Christum irrationabiliter valde colentes, et divinis eius legibus servientes, aliaque multa detestanter eructans, et de malo cordis sui thesauro verba non bona depromens, ex cordis enim veraciter abundantia, os loquitur et effatur. Deridebat autem et Cyrum atque Iohannem martyras, quasi ex arte medicinali hominum languores curantes, et non ex divina quadam et superna virtute. Cum enim audiret infirmis ab eis medicamina praecipi, quae partim et nos quoque

ταῦτα διδάγματα διετείνετο· καὶ τοῦτο μὲν ἱπποκράτειον ἔλεγε τὸ βοήθημα· τάδε γὰρ ἐν τῷδε φησὶ τῷ συγγράμματι· τοῦτο δὲ γαλήνειον ἐβόα φάρμακον· κἂν τῷδε κεῖσθαι τῷ λόγῳ διηγγέλλετο· ἄλλο δὲ δημοκρίτειον εἶναι, διηγεῖτο σαφῶς τὸ ἐπίθεμα, καὶ τὸν τόπον ἔνθα τοῦτο φησὶν ἐμνημόνευε· καὶ ἑτέρου θᾶττον ἰατροῦ τὴν ἑτέραν ἀκούσας ἐκόμπαζεν ἔμπλαστρον· καὶ πάντως τὰ πρὸς τῶν ἁγίων λεγόμενα, τινῶν ὑπάρχειν ἰατρῶν διεβεβαιοῦτο κατγύματα· φυσιολογῶν ἀεὶ τὰ νοσήματα, καὶ τὰς τῶν διαδεδομένων ποιότητας, καὶ κατὰ λόγον αὐτὰ τὸν ἰατρικὸν ἐπιτάττεσθαι, καὶ τῶν παθημάτων ἐνεργεῖν τὴν καθαίρεσιν.

supra descripsimus, medicorum haec fore magisteria praedicabat; et hoc quidem hippocraticum dicebat auxilium, haec enim inquiens in hoc dicuntur conscripta; hoc vero galenicum vocabat medicamentum, et in hoc iacere sermone pronuntiabat; aliud autem democriticum esse referebat evidenter epithema, et locum ubi hoc diceret commemorabat: et cum hoc vel illud eorum medicamentum audiret, alterius esse medici iactabat emplastrum: et omnia quae a sanctis dicerentur, quorundam esse medicorum confectiones asseverabat; naturali ratione semper de languoribus, ac medicaminum, quae dabantur, qualitati-

Ἀλλὰ τούτων αὐτοῦ τῶν φληνάφων, οὐκ ἄλλόν τινα παριστῶσιν οἱ μάρτυρες ἔλεγχον, εἰ καὶ σαφῶς ὑπ' αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἐλέγχονται, ἀλλ' αὐτὸν τὸν παράφρονα Γέσιον, τὸν τούτων ποιητὴν καὶ γεννήτορα· τὰ νῶτα γὰρ ἀσθενήσας ὁ δείλαιος, καὶ σὺν ταῖς ὠμοπλάταις τοὺς ὤμους αὐτοὺς καὶ τὸν τράχηλον, ὡς ἔκ τινος θείας ὁρμῆς αὐανθέντας ἐσχηκὼς καὶ πάσης ἀμοιροῦντα κινήσεως· ταῦτα γὰρ τὰ τῶν ξύλων ξηρά τε καὶ ἄναιμα ἐν τῷ ζῶντι τυγχάνοντα σώματι, ἐλάλει τότε καὶ ὑπέγραφε· καὶ τὴν ὀδύνην ἐποιεῖτο τῇ τοιαύτῃ κολάσει κατάλληλον· καὶ τοῦ πάθους ἀγνοήσας τὸ αἴτιον,

bus disputans, et secundum medicinalem ea praecipi rationem, ac passionum fieri destructionem affirmans.

Sed horum ei stultiloquiorum, non aliud quicquam martyres exhibent argumentum, licet evidentius a rebus ipsis redarguantur, nisi eundem amentem Gesium qui horum erat factor et genitor: dorso namque infirmatus infelix cum armis, humeros ipsos cum collo veluti ex quadam divina ira arefactos et omni motu carentes habebat; haec enim lignorum sicca quaeque et humorem non habentia in viventi corpore posita imitabantur et depingebant; doloremque sentiebat tali supplicio consequentem; et passionis causam igno-

ἰατρεύειν ἑαυτὸν ὁ τοὺς ἄλλους ἰώμενος ἠγωνίζετο· ἐχρῆτο γοῦν διαφόροις ἀλείμμασιν καὶ καθαρσίοις τῶν ἀλειμμάτων οὐχ ἧττοσιν, διαίτάς τε πολυτρόπους διήμειβε, καὶ θερμοτέρων τροφῶν μετελάμβανε, ψύξιν εἶναι καὶ φλέγμα τὴν ἐν ἐκείνοις οὖσαν τοῖς τόποις οἰόμενος, καὶ ταύτῃ διαφορεῖσθαι δοκῶν τὸ τῆς ἀσθενείας παραίτιον.

Ὡς δὲ πάντα τὰ τῆς τε τέχνης πεποίηκεν, καὶ Γαληνὸς αὐτὸν καὶ Ἱπποκράτης καὶ τῶν ἄλλων ἰατρῶν ὁ ἐσμὸς ἐξεπαίδευσε, καὶ τὸ πάθος οὐδὲν ἀπεμείωσε, οὔτέ τινα τριπόθητον κίνησιν τοῖς ἀκινήτοις μέλεσιν ἠδυνήθη χαρίσασθαι, τοὺς κομψοὺς τῶν ἰατρῶν μεταστέλλε-

rans, mederi sibi certabat, qui sanare alios procurabat: ungebatur enim diversis unguentis et catharsiis non minoribus quam ipsa essent unguenta; diaetasque multimodas alterna vice transigebat, et calidiorum participabatur escarum siccitatem, esse haec flegma quae illis inerant locis existimans, et hoc modo differentiam accipere putans infirmitatis causa.

Cum autem omnia quae artis erant fecisset, quaeque se Galenus et Hippocrates aliorumque medicorum examen edocuerat peregisset, et passio in nullo minorata videretur, neque aliquem tam desiderandum motum immobilibus membris

ται, καὶ προσελθόντας, εἰπὼν τὴν ἀσθένειαν, ταύτης αὐτοὺς ἀπῄτει φάρμακον· ὡς ἕκαστος δὲ τὸ δόξαν ἀπήγγελλον, τελευταῖον αὐτὸς ἅπαντα δεδρακέναι τὰ λεχθέντα πρὸς αὐτῶν διηγήσατο· οἱ δὲ τούτων ἀκούσαντες, ἀφασίᾳ κατείχοντο· καὶ μόνον εὐθὺς τοῦ πάθους ἰατρὸν τὸν τῶν ὅλων Θεὸν ἀνηγόρευον, τὸν πλέον τί παρὰ ἀνθρώποις δυνάμενον, καὶ δρῶντα τὰ πᾶσιν ἀνθρώποις οὐ δρώμενα· εἰς τοὺς ἁγίους οὖν Κῦρον καὶ Ἰωάννην ἐξιέναι προσέταττον, καὶ τὴν αὐτῶν ἀναμένειν ἐπίσκεψιν, καὶ τὴν ἐκ ταύτης θεραπείαν προσδέχεσθαι, ἐπειδὴ θείας αὐτοὶ μετέχουσι χάριτος, καὶ θείᾳ δυνάμει δημιουρ-

dare potuisset, illustres medicorum accersit, quibus accedentibus cum infirmitatem dixisset, huius ab illis exigebat remedium. Cum autem quod sibi visum fuerat unusquisque pronunciasset, novissime omnia quae ab eis dicta fuerant ipse se iam gessisse narravit. Quibus illi auditis, silentio tenebantur, et solum continuo medicum passionis cunctorum Deum pronuntiabant, qui plus aliquid in omnibus super homines posset, et gereret quae ab omnibus hominibus non geruntur. Ad sanctos praeterea Cyrum et Iohannem exire praecipiebant, et ipsorum expectare visitationem et ex hac curationem accipere, eo quod ipsi divinae gratiae forent participes, et divina virtute patrarent mi-

γοῦσι τὰ θαύματα· πρὸς οὓς εὐθέως ὁ Γέσιος καὶ τοὺς ἁγίους ἰατρικῶς ἐνεργεῖν τὰς ἰάσεις ἐφθέγγετο, καὶ θεῖον οὐδὲν ἢ θαυμαστὸν ἐπιδείκνυσθαι, ὃ μὴ τοῖς παλαιοῖς ἰατροῖς διηγόρευται· οἱ δὲ πρὸς τοῦτο σοφῶς ἀνθιστάμενοι, καὶ πολλὰς αὐτῶν θεραπείας προσφέροντες, καὶ μυρία φάρμακα λέγοντες, καὶ τὰ τούτοις ἰαθέντα νοσήματα, τοὺς λόγους εἰπεῖν ἀπῄτουν τὸν ἄῤῥωστον· ὁ δὲ καὶ λέγειν ἐθέλων οὐχ εὕρισκε, καὶ λέγων εὐθὺς πρὸς αὐτῶν ἀνετρέπετο· καὶ σιγᾷν ἠξίου πρὸς αὐτὸν καλῶς ἀντιλέγοντας, καὶ σιγῶν ἀκουσίως ἐπείθετο· καὶ πεισθεὶς πρὸς τοὺς μάρτυρας ἤρχετο οὐ τοσοῦτον πειθοῖ, ὅσον ἀλγηδόσι δειναῖς ἐλαυνόμενος.

racula. Ad quos statim Gesius et sanctos medicinaliter operari sanitates perhibebat, et divinum nihil vel mirandum ostendere, quod a veteribus medicis non fuerit divulgatum. At illi sapienter adversus hoc resistentes, et multas suas curationes afferentes et remedia mille fatentes, istisque sanatos languores dicentes, rationes persequi petebant infirmum. At ille quid diceret non inveniebat, et dicens protinus ab eis confutabatur, et silere poscebat eos qui sibi optime resistebant, et tacens invitis acquiescebat, et acquiescens ad martyres veniebat, non tantum suadela, quantum doloribus diris impulsus.

Ἐλθόντι δ' οὖν ὅμως αὐτῷ, καὶ ῥώσεως τυχεῖν ἱκετεύοντι, καὶ κατὰ δύναμιν λιπαροῦντι τοὺς μάρτυρας, νύκτωρ καθεύδοντι φαίνονται, καὶ τὸ τοῦ πάθους μηνύουσι φάρμακον, ἀκόλουθον τιμωρίαν τοῦ πάσχοντος· φάσκων γὰρ εἶναι σοφὸς, μᾶλλον μωρὸς ἢ σοφὸς ἀπεδείκνυτο· φέρε γὰρ ὄνου σάγμα φησὶν καὶ τοῦτο φόρησον, τοῖς ὤμοις αὐτὸ περιθέμενος καὶ τραχήλῳ καὶ νώτῳ τοῖς πάσχουσιν· καὶ μεσούσης ἡμέρας ὅλον ἡμῶν περινόστει τὸ τέμενος, μεγαλοφώνως βοῶν ὡς μωρός εἰμι καὶ ἀνούστατος· καὶ τοῦτο πεπραχὼς, ὡς εἰρήκαμεν, εὐθὺς εὑρήσεις τὴν τοῦ σώματος ἴασιν· καὶ ταῦτα μὲν εἰς αὐτὸν οἱ ἅγιοι φήσαντες ᾤχοντο· ὁ δὲ στρα-

Venienti tamen ei et sanitatem assequi supplicanti, ac martyras secundum vires poscenti; noctuque dormienti apparent, et passionis indicant medicamentum, congruum stultitiae patientis, dicens enim esse sapientem, stultus potius quam sapiens demonstratus est: fer enim asini sagma inquiunt, et hoc porta positum super humeros, collum, et dorsum, quae dolores perpeti comprobantur, et meridiantis diei tempore, totum nostrum circita templum voce magna exclamans, stultus sum et amentissimus; et hoc sicut diximus acto, corporis continuo invenies sanitatem. Et quidem sancti, his ad eum dictis, abierunt. At ille con-

φεὶς φαντασίαν ἐκάλει τὸ ὅραμα, καὶ οὐ χριστοφόρων ἁγίων ἐπίταγμα· καὶ διαπτύσας ὡς φάσμα τὸ θέσπισμα, τῶν λεχθέντων οὐδὲν διεπράττετο.

Πάλιν δὲ λιτανεύων τοὺς μάρτυρας, ταῦτα ποιεῖν μετὰ προσθήκης ἐπύθετο· ἐλθόντες γὰρ πάλιν πρὸς αὐτὸν ὡς ἐκάθευδεν, καὶ κώδωνα σὺν τῷ σάγματι μέγαν ἐκ τοῦ τραχήλου κρεμάσαι προστάττουσι· καὶ σὺν τοῖς αὐτῶν τὸν νεὼν διαθέειν τὸ μωρός εἰμι κράζοντα· ἀλλ' ὡς καὶ ταύτην τὴν διάνοιαν ἠθέτει, τὴν κέλευσιν φάσμα καλῶν ἀνακόλουθον, τὸ σάγμα τεχνολογῶν καὶ τὸν κώδωνα μὴ δυνάμενος, μηδὲ ποίας ταῦτα τυγχάνουσι κράσεως, καὶ φυσικῆς καὶ οὐ-

versus, phantasiam vocabat somnum et non christiferorum praeceptum sanctorum; et respuens illud quasi phantasiae decretum, nil agebat dictorum.

Iterum autem martyras deprecans, eadem facere cum additamento audiebat. Venientes enim rursus cum dormiret ad eum, tintinnabulum cum sagmate magnum in collo suspendere, et cum his ad templum suum currere, et, stultus sum, clamare praecipiunt. Sed cum etiam hanc ob amentiam iussionem sprevisset, inconveniens hoc monstrum appellans, cum scilicet sagma deprehendere vel tintinnabulum non valeret, et cuius haec essent iudicii * seu naturalis ac substantivae quali-

* Anastasius legebat κρίσεως.

σιώδους ποιότητος ἰσχύων ποιήσασθαι τὴν κατάληψιν, αὖθις ἐδέετο καὶ ἱκετείας τῷ δεσπότῃ προσέφερεν, θεραπεῦσαι μᾶλλον αὐτοῦ τὴν ἀσθένειαν, καὶ μὴ παριδεῖν αὐτὸν φάσμασιν βουκολούμενον· οἱ δὲ θειότατοι ὄντως καὶ φιλάνθρωποι μάρτυρες πάλιν ἐφάνησαν καὶ πάλιν ποιεῖν τὰ πρῶτα προσέταξαν, προσθέντες καὶ τὸν χαλινὸν φορεῖν ὡς τὰ ἄλογα, καὶ ὑπό τινος τῶν οἰκετῶν προβαδίζοντος ἕλκεσθαι κατὰ τρόπον αὐτὸν τῷ σάγματι καὶ τῷ κώδωνι σεμνυνόμενον, καὶ τὸ μωρός εἰμι μάλα σαφῶς ἐπιλέγοντα· οὐχ ἑαυτοὺς ταῖς προσθήκαις τοῦ τε χαλινοῦ καὶ τοῦ κώδωνος διορθούμενοι, ἀλλὰ τοῦ σοφωτάτου Γεσίου ταύταις ἐκδηλωτέραν

tatis non posset advertere, iterum obsecrabat, et sanctis supplicationes offerebat, ut curarent potius infirmitatem suam, et non despicerent se fabulis non bonis deceptum. Ast sacratissimi revera et misericordissimi martyres rursus apparuerunt, et iterum priora facere praeceperunt, addentes ut frenum sicut inrationabilia portaret animalia, et a quovis traheretur praecedente servorum, et sequeretur secundum morem ipse, sagmate ac tintinnabulo adornatus, et, stultus sum, valde frequenter affatus, non se ipsos ab additamentis freni et tintinnabuli corrigentes, sed sapientissimi Gesii manifestiorem per haec amen-

ποιοῦντες τὴν ἄνοιαν, καὶ αἰσχύνῃ δριμυτέρᾳ καὶ μείζονι μαστίζοντες αὐτοῦ τὸ ἀσύνετον· αὐτοὶ μὲν οὖν οἱ θεσπέσιοι εἰπόντες ταῦτα πρὸς αὐτὸν, ἀνεχώρησαν.

Ὁ δὲ γενόμενος ἔξυπνος φάσμα πάλιν εἰπεῖν ἐδειλία τὸν ὄνειρον, τῷ τρισσῷ βεβαιωθέντα τῆς ὄψεως, καὶ τοῦτο ποιεῖν ἠναγκάζετο τῆς ἀπαλλαγῆς τοῦ νοσήματος ἕνεκα· καὶ ἵνα μὴ πρὸς ὀργὴν ἀσυγχώρητον καθ' ἑαυτὸν κινήσῃ τοὺς μάρτυρας· τὸ σάγμα γοῦν ἐπ' ὤμους καὶ νῶτον ἀράμενος, κἀν τῷ τραχήλῳ φορέσας τὸν κώδωνα, καὶ τὸν χαλινὸν ἐνθεὶς τῇ κεφαλῇ καὶ τῷ στόματι, τοῦ παιδὸς ὄπισθεν εἵπετο ἀνὰ τὸ τέμενος ἄγοντος, κἀν τούτῳ τοὺς διαύλους ἀνύοντος, δέκα δὲ ἦσαν ὡς φασὶν οἱ με-

tiam facientes, eiusque acriori ac maiori confusione insipientiam flagellantes. Itaque ipsi quidem egregii martyres his ad eum dictis, discesserunt.

Ille vero expergefactus, phantasma iterum dicere somnium formidabat, quod se certum tertia reddiderat visione; verum et hoc facere cogebatur amittendi causa languoris, et ne ad iram sine indulgentia contra se martyres commoveret. Igitur sagmate super humeros elevato, frenoque capiti et ori imposito, tintinnabulum in collo portabat, tergaque se per templum trahentis et in huius atriis incedentis pueri sequebatur, quae de-

τρήσαντες, τὸ μωρός εἰμι κράζων συχνότατα· πληρώσας οὖν τῶν ἁγίων τὴν κέλευσιν, σὺν τῷ σάγματι καὶ τῷ χαλινῷ καὶ τῷ κώδωνι, καὶ τὴν ἐπινώτειον νόσον ἀπέθετο, καὶ τὴν ῥῶσιν ἀνείληφεν, τὴν φίλην αὐτῶν τοῖς προστάγμασιν καὶ σύνδρομον τοῖς θεσπίσμασιν.

Ἐπελθούσης δὲ τῆς νυκτὸς, καὶ τὴν τῆς ἕω δεξαμένης φαιδρότητα, πάλιν Γεσίῳ καθεύδοντι οἱ θεῖοι παρίστανται μάρτυρες, καὶ τὴν εἰς αὐτοὺς ἁμαρτίαν χαριέντως πῶς αὐτὸν ἀνεμίμνησκον· ἐπειδὴ γὰρ λέγουσι πάντα τὰ πρὸς ἡμῶν τοῖς νοσοῦσι διδόμενα φάρμακα, τῶν πάλαι φθειρομένων ἰατρῶν εἶναι θέλεις εὑρήματα, λέγε ποῦ τὰ τοῦ πάθους τοῦ σοῦ βοηθήματα

cem erant ut aiunt qui haec dinumeraverunt, stultus sum, saepissime clamans. Cum ergo sanctorum iussionem complesset, cum sagmate, freno, et tintinnabulo, etiam dorsi languorem deposuit, et sanitatem resumpsit, quae facta est praeceptis sanctorum amabilis, eorumque sanctionibus comes.

Accedente vero nocte, et orientis succedente claritate, iterum dormienti Gesio divini assistunt martyres, et perpetratum in se peccatum ad ipsius reducebant gratulanter memoriam, asserentes, quia si omnia quae a nobis remedia languentibus tribuuntur, priscorum qui consumpti sunt

Ἱπποκράτης ὁ σὸς ἀνεγράψατο, ἢ Γαληνὸς ὁ παρὰ σοὶ θαυμαζόμενος εἴρηκεν; ποῦ δὲ ταῦτα Δημόκριτος ἔφησεν; ἢ τῶν ἄλλων τίς ᾀδομένων ἰατρῶν ἐμνημόνευσεν; καὶ εἰ ταῦτα παρ' αὐτοῖς εὕροις λεγόμενα, καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἀληθεύσεις φθεγγόμενος· εἰ δὲ τοιοῦτον οὐδὲν ἐκείνους λέγοντας ἀποδείξειας, γίγνωσκε σαυτὸν καὶ περὶ τῶν ἄλλων ψευδόμενον· οἱ μὲν οὖν ἅγιοι οὕτω τὸν Γέσιον στηλιτεύσαντες καὶ συκοφάντην ἐμφανῶς διελέγξαντες, ἔλυσαν τὸ ἐνύπνιον.

Ὁ δὲ καὶ ὑπνῶν ὑπεφήνατο ἀντιλέγειν οὐδὲν ἔχων τοῖς μάρτυσιν, καὶ διυπνισθεὶς ἐξε-

medicorum vis esse inventiones, dic ubi passionis tuae Hippocrates tuus adiuvamenta descripserit? vel Galenus, qui apud te mirabilis perhibetur, dixerit? ubi etiam haec Democritus effatus fuerit? aut alius quisquam ex famosis medicis horum memoriam fecerit? Et si haec apud eos inveneris dicta, et de aliis quoque veritatem dices affatus. Quod si tale nihil illos dixisse probaveris, cognosce temet etiam de aliis extitisse mentitum. Itaque sancti cum taliter Gesium publicassent, et calumpniatorem esse liquido convicissent, somnium dissolverunt.

Ille vero etiam soporatus obmutuit, nihil habens in quo martyribus contradiceret: et cum evi-

πλήττετο, τεθηπὼς τὸν σοφώτατον ἔλεγχον· ὑμνήσας δ' οὖν ὅμως τῶν ἁγίων τὴν δύναμιν, καὶ θεόθεν αὐτοὺς ὁμολογήσας ἰᾶσθαι τοὺς πάσχοντας, τοῦ τεμένους αὐτῶν ἀνεχώρησεν· φασὶ δὲ καὶ Κοσμᾶν καὶ Δαμιανὸν τοὺς ἁγίους συνιατροὺς καὶ συμμάρτυρας τοιοῦτόν τι διαπράξασθαι, ὥσπερ καὶ τοῦ παραλύτου καὶ τῆς ἀλάλου γυναικός· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς ἑβραίας τῆς ἐχούσης τὸν κάρκινον ἔσω κρυπτόμενον, Κῦρος καὶ Ἰωάννης πεπράχασι· ἅπερ πολλοὶ ὡς χθὲς γεγονότα μέμνηνται καὶ κηρύττουσιν· ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὡς καὶ τοῖς ἐκείνων ἐγγεγραμμένα θαύμασι παρεδράμομεν· τὸ παρὸν δὲ τεράστιον ὡς μὴ γραφὲν ἐν αὐτοῖς ἡμεῖς ἀνε-

gilasset, stupefiebat, sapientissimam redargutionem admirans. Hymnis ergo virtutem sanctorum praedicans, et divinitus eos sanare qui patiuntur confitens, ab eorum recessit basilica. Aiunt autem sanctos Cosmam et Damianum, horum conmedicos et conmartyres, tale quid peregisse, sicut etiam illud paralytici et mutae mulieris signum, nec non et hebreae quae cancrum habuerat intrinsecus occultatum, Cyrus et Iohannes egerunt; quae multi tamquam heri facta commemorant et praeconiis efferunt. Sed haec quidem, quae inter illorum scripta sunt miracula, transcurrimus; praesens vero prodigium quoniam scriptum

γράψαμεν· καὶ θαυμαζέτω μηδεὶς εἰ ἀλλήλοις οἱ ἅγιοι τὰ αὐτὰ διαπράττοντες θαύματα· ἐκ μιᾶς γὰρ πηγῆς Κῦρός τε καὶ Ἰωάννης, Κοσμᾶς τε καὶ Δαμιανὸς, Χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν ἀρύονται τὰ ἰάματα, καὶ ἕνα δεσπότην ἔχουσί τε καὶ τιμῶσιν ἑκάτεροι, τὸν δι' αὐτῶν ἡμῖν τὰς θεραπείας δωρούμενον, καὶ δρῶντα τὰ πολύτροπα τέρατα· ὃν ὡς τῶν ὅλων θεὸν ὄντα ὑμνήσαντες, καὶ τοὺς μάρτυρας ὡς πιστοὺς αὐτοῦ γεγονότας θεράποντας, ἑτέρων θαυμάτων τὰς παραθέσεις ποιούμεθα.

in eis non est, nos merito scripsimus. Et nemo miretur si sancti vicenter * eadem patrent miracula: ex uno enim fonte Cyrus atque Iohannes, Cosmas et Damianus, Christi Dei nostri hauriunt, et unum Dominum habent, et honorant utrique, qui per eos nobis curationes donat, et multimoda gerit prodigia; quem hymnis, tamquam eum qui est omnium Deus, laudantes, et martyras veluti eius fideles famulos, aliorum miraculorum interpositiones faciamus.

* ita cod. pro *vicissim*.

λα. ΠΕΡΙ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΜΕΤΑ ΤΟ ΚΟΙΝΩΝΗΣΑΙ ΡΙΝΟΚΤΥΠΗΣΑΝΤΟΣ, ΚΑΙ ΠΑΡΑΧΡΗΜΑ ΤΥΦΛΩΘΕΝΤΟΣ.

Ὁ νεανίας Θεόδωρος ὁ τῆς παρούσης ἡμῖν διηγήσεως αἴτιος, μεγάλης ὠφελείας γίνεται πρόξενος τοῖς οὐ παρέργως τῶν λεγομένων ἀκούουσι· οὗτος γὰρ εἰς τὸ τῶν ἁγίων γενόμενος τέμενος, μετὰ τὴν τῶν ζωοποιῶν Χριστοῦ μυστηρίων μετάληψιν, ὅθεν οὐκ ἴσμεν κινούμενος, εἴ τέ τινος αὐτὸν πρὸς θυμὸν παροτρύνοντος, μανίᾳ μεγίστῃ φλεγόμενος, καὶ ζέων τῇ κινήσει τοῦ περὶ καρδίαν κοχλάζοντος αἵματος, οὐ λόγοις μόνοις τὸ θεῖον ὁ δείλαιος ὕβρισε δυσφημῶν ὁ τρισάθλιος, καὶ ὡς κατὰ συνδούλου τινὸς τὰς

31. DE THEODORO, QUI CUM COMMUNICASSET NASO SONITUM REDDIDIT, ET STATIM CAECUS EFFECTUS EST.

Adulescens Theodorus, qui praesentis nobis narrationis est auctor, magnae utilitatis efficitur causa his qui non transitorie quae dicuntur audierint. Hic enim in basilicam sanctorum veniens post vivificorum Christi sacramentorum perceptionem, unde motus nescimus, sive hunc quisquam ad furorem incitaverit, sive nemo exacerbaverit, insania maxima inflammatus est, et ardens motu sanguinis, qui circa cor ebullit, non solis infelix verbis divinitati blasphemans iniuriam intulit, et

λοιδωρίας ποιούμενος, ἀλλὰ καὶ τῇ διὰ ῥινῶν ἀναῤῥωφήσει τοῦ πνεύματος κτύπον ἀποτελῶν βροντῇ φοβερᾷ παραπλήσιον, τὸν φρίττειν εὐθὺς ἀναγκάζοντα, πάντας τοὺς παρόντας καὶ βλέποντας, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκουσίως ἀκούοντας· πολλοὶ δὲ τοῦτο χριστιανῶν διαπράττονται, βλασφημεῖν ὡς οἶμαι νομίζοντες, ἀγνοοῦντες δὲ παντελῶς τὸ πραττόμενον, ὅπερ ἀκριβῶς εἰ ἐγίνωσκον, οὐκ ἂν αὐτὸ μετὰ μυρίας βασάνους εἰργάσαντο.

Καὶ τάχα διασαφεῖν τὸ κακὸν οὐκ ἀνόνητον· ἴσως γάρ τινες μανθάνοντες αὐτοῦ τὴν ποιότητα, καὶ ὡς ἑλληνικῆς ἐστι δυσσεβείας ἐπάξιον εὕρημα, τῆς τοιαύτης ἑαυτοὺς φρενοβλαβείας

quasi adversus conservum quemquam maledictiones intorsit, sed et spiritu per nares sursum absorto, ex se sonitum reddidit, tonitruo terribili similem, qui horrere statim omnes coëgit, praesentes scilicet et intuentes, et invitis auribus audientes. Multi autem hoc christianorum gerunt, blasphemare quidem ut reor existimantes, quod autem agitur ignorantes; quod si certius novissent non utique id post tot milia tormentorum egissent.

Et forte hoc explanare malum, non est ineptum; fortassis enim eius nonnulli cognita qualitate, et quod gentili condigna impietate sit adin-

φυλάξαιντο· τοὺς ἕλληνας φησὶν ὁ Πορφύριος τὰς ἐναγεῖς θυσίας τοῖς εἰδώλοις προσφέροντας ῥινοκτυπεῖν ἐντονώτατα, ὁλκῇ βιαίᾳ καὶ δυνάμει τοῦ πνεύματος τὸν τοίονδε κτύπον προφέροντας, ὕμνον ποιεῖσθαι σεβάσμιον, ὡς ἐντεῦθεν πολλὴν ἔχειν τοὺς θύοντας ἄδειαν, καὶ τὴν ἅμιλλαν ζηλοῦν ἱκανώτατα, τίς ῥινοκτυπίᾳ νικήσει τὸν ἕτερον, ἵν' ὁ βέλτιστος πρῶτος ἀκούοιτο, καὶ δαίμοσιν ὑπάρχοι γλυκύτατος· αὕτη τῶν τοίωνδε κτύπων ἡ ποιότης καθέστηκεν πρὸς θεραπείαν δαιμόνων ὑπάρξασα· καὶ δαίμονας ἀκαθάρτους ὑμνεῖν λεληθότως τοὺς προειμένους αὐτὴν ἀναγκάζουσα· ὅθεν τοὺς ταύτην χρωμένους προτρέπομεν, μαθόντας αὐτῆς τὸ

ventio, a tali semetipsos sensuum laesione custodient. Gentiles immunda sacrificia idolis offerentes, vehementissime sonitum facere naso dicit Porphyrius, virtute valida spiritus et ingenti, et huiuscemodi sonitum proferentes, hymnum facere celeberrimum; ita ut hinc multam habeant hii qui sacrificant concertationem, quasi narium sonitu superet alterum, ut optimus primus audiatur, et daemonibus sit dulcissimus. Haec est horum sonorum qualitas, quae ad placationem daemoniorum inventa est, quaeque daemonas immundos sensim laudare cogit eos qui hanc sectantur. Unde qui hac utimini, cohortamur ut

βλαπτικὸν καὶ ὀλέθριον, ὡς ψυχοφθόρου λύττης ἀφίστασθαι· τίς γὰρ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος; καὶ τὰ ἑξῆς.

Τούτῳ τῷ κτύπῳ Θεόδωρος τῷ βδελλυρῷ καὶ φιλειδώλῳ μετὰ τὴν τῆς ἀχράντου κοινωνίας βρῶσιν χρησάμενος, εὐθὺς ἐστερεῖτο τῶν ὄψεων καὶ τῶν ὀμμάτων ἐχήρευε, σύνδρομον τῇ δυσφημίᾳ τὴν τιμωρίαν εὑράμενος· καὶ τούτου συμβάντος ὡς ἔφημεν, τρόμος ἅπαντας τοὺς παρόντας ἐλάμβανεν, καὶ φόβος οὐχ ὁ τυχὼν ἐπεμένετο, μὴ καὶ αὐτοὶ τοῖς ὁμοίοις ἐμπέσωσι τοιαῦτα συχνῶς ἁμαρτάνοντες· καὶ δι' ἔθος τὴν πρᾶξιν οὐχ ἁμαρτίαν ἡγούμενοι· πολλά τε τῶν παρόντων ἕκαστος ἐξέχεε δάκρυα Χριστὸν

cum eius laesionem perniciemque didiceritis, ab ea tamquam ab animarum corruptrice rabie recedatis, ne per hanc idololatrae constituamini. Quae enim communicatio luci ad tenebras? et cetera.

Hoc abhominando et idolis grato sono, post intcremeratae communionis cibum Theodorus usus, mox privatus obtutibus, oculis destitutus est, concurrente cum blasphemia poena reperta; quo ut diximus accidente, tremor universos qui aderant comprehendit, et timor non qualiscumque depastus est, ne et ipsi laberentur in talia taliter crebro peccantes, et propter consuetudinem peccatum minime quod ageretur existimantes; multas-

ὑπὲρ ἑαυτοῦ καὶ τοὺς μάρτυρας ἱλασκόμενοι, καὶ τοῦ πεπονθότος χάριν δεόμενοι, ὅπως ὡς Θεὸς οἰκτείρας τὸν ἄθλιον μετανοοῦντα προσδέξηται, καὶ διὰ τῶν ἁγίων πάλιν τὸ βλέπειν χαρίσηται.

Ἐπιφανέντες οὖν καθ' ὕπνους οἱ μάρτυρες τῷ τὴν ὅρασιν ἀπωλέσαντι, τίς σε φασὶν ἐργάτην ὦ ἄθλιε τοσαύτης μυσαρᾶς εἰργάσατο πράξεως; ἧς ἔδει παρὰ πάντα μὲν ἅπαντας τὸν βίον ἀπέχεσθαι, ὡς ἑλληνικῆς καὶ φίλης τοῖς δαίμοσιν· καὶ εἰ ἐν ἀγνοίᾳ ποιοῦνται ταύτην οἱ πλείονες, μάλιστα δὲ ταύτης τὴν ποίησιν ἔδει μυσάττεσθαι ὅτε Χριστοῦ τῶν μυστηρίων ἐφάπτονται· καὶ νῦν εἰ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ παριόντος

que singuli praesentes lacrimas effundebant, Christum pro se ac martyres placatos facere procurantes, et ei qui passus fuerat gratiam imprecantes, quo tamquam Deus super misero misericordia motus, hunc paenitentem reciperet, et per sanctos iterum videre tribueret.

Apparentes ergo martyres in somnis ei qui visum amiserat, quis te inquiunt o miser operatorem tam execrandae operatus est actionis? a qua universos oportebat omnibus abstinere diebus, ut ut plures per ignorantiam faciant; praesertim cum huius opus tunc maxime oporteat abhominari, quando Christi sacramenta tanguntur. Et nunc si

τοῦ οἰκονόμου, καὶ μετὰ χεῖρας τὸ θυμιατήριον ἔχοντος καὶ θυμιῶντος τὸ τέμενος, ἴδοις τοῦ θυμιατηρίου τοὺς ἄνθρακας, καὶ τοῦ θυμιάματος καπνὸν ἀναθρώσκοντα, λυτρωθήσει τελείως τῆς μάστιγος, καὶ τὰς ὄψεις ἕξεις ἐῤῥωμένας ὡς πρότερον· εἰ δὲ μηδὲν ὧν ἔφημεν τριταῖος ἴδοις τοῖς ὄμμασιν, ἴσθι διηνεκῆ κερδάνας τὴν τύφλωσιν, καὶ μηκέτι τῶν ὁρατῶν τι θεώμενος· καὶ ταῦτα μὲν ὄναρ αὐτῷ προσεφθέγγοντο.

Ὁ δὲ στραφεὶς μετὰ τὴν ὅρασιν, μειζόνως ἑαυτὸν ἀπεδύετο, τὸ τῆς προθεσμίας στενὸν λογιζόμενος· ὅθεν συντονίᾳ πολλῇ τὰς δεήσεις ἀνέ-

tertia die praesente oeconomo et prae manibus turibulum retinente, incensique odoribus templum replente, turribuli videris prunas, et incensi fumum ad superiora salientem, a flagello perfecte liberaberis, ast si nil eorum quae diximus tertianus oculis videris, scito quod perpetuam lucrifacias caecitatem, et aliquid eorum quae videntur non sis ultra visurus. Et haec quidem in somnis ei profati sunt.

At ille post visionem conversus multo amplius se dementabat, praestituti temporis (1) secum an-

(1) Anastasius non *praestituti temporis*, sed *alacritatis* scribit in codice: quia loco προθεσμίας perperam legebat προθυμίας.

πεμπε, καὶ δακρύων ὀχετοὺς οὐ στελλομένους κατέφερε, Θεὸν ἀντιβολῶν καὶ τοὺς μάρτυρας μέχρι τῆς τοῦ λεχθέντος καιροῦ συμπληρώσεως· εἶχε δὲ καὶ πάντας αὐτῷ τοὺς ἐν τῷ νεῷ συμπρεσβεύοντας, καὶ τὰς ὑπὲρ αὐτοῦ λιτὰς ποιουμένους σὺν δάκρυσιν, καὶ πληροῦντας φιλάδελφον πρόσταξιν, τὸ εὔχεσθαι ὑπὲρ ἀλλήλων ὅπως ἰαθῆ τε, καὶ δεχθείσης τῆς πάντων δεήσεως, ὁ Θεόδωρος τὸ βλέπειν ἀπείληφε, καὶ τὸ δέος ἀπέβαλε τῆς τυφλώσεως.

Χριστοδώρου γὰρ θυμιῶντος τῇ τρίτῃ τὸ τῶν ἁγίων μαρτύριον, οἰκονόμος γὰρ οὗτος ἐτύγχανεν, καὶ παριόντος ἔνθα τυφλὸς ὁ Θεόδωρος ἐκαθέζετο, ὡς μόνον αὐτοῦ τὸν τόπον τὸ φωτιστή-

gustiam reputans; unde instantia multa preces mittebat, et lacrimarum rivulos indesinentes fundebat, Deum rogans et martyras, usque ad praedicti temporis consummationem; habebat autem et omnes qui in templo erant secum intercedentes, et pro se litanias facientes cum lacrimis, atque fraterni amoris praeceptum perficientes, quod dicitur: orate pro invicem ut salvemini. Cumque deprecatio cunctorum accepta fuisset, Theodorus visum recepit, et timorem caecitatis abiecit.

Christodoro quippe tertia die incensum in sanctorum martyrio ponente; hic enim oeconomus erat; et transeunte ubi Theodorus caecus reside-

ριον ἔνθα ἦν κατέλαβε, τοὺς ἄνθρακας ἀθρόως ἐσκόπισε, καὶ τὸν εὐώδη καπνὸν ἀναβαίνοντα· καὶ φωνὴν ἀφεὶς διαπρύσιον δοξολογοῦσαν Χριστὸν καὶ τοὺς μάρτυρας, αὖθις ἅπαντας πρὸς φόβον καὶ χαρὰν διανέστησε· χαρὰν μὲν ὅτι παραδόξως ἀνέβλεψε, φόβον δὲ ὅτι παρόντας ἐδόκουν τοὺς μάρτυρας, καὶ πᾶν ἐκδικοῦντας παράπτωμα· καὶ πάντων ἀθροιζομένων ἰδεῖν τὸν Θεόδωρον, καὶ βοῆς γενομένης βαρείας καὶ μείζονος, ὁ Χριστόδωρος ἐξεπλήττετο· ἠγνόει γὰρ παντελῶς τὸ γινόμενον· καὶ γνοὺς τῆς τότε θαυματουργίας τὸ μέγεθος, καὶ σὺν τοῖς ἄλλοις ἅπασι καὶ Θεοδώρῳ τῷ τυφλωθέντι καὶ βλέψαντι, τὸν Χριστὸν μεγαλοφώνως ἐδόξαζεν,

bat, cum tantum ad locum in quo baptisterium erat pervenit, carbones et illum repente suavis odoris fumum ascendentem aspexit. Cumque vocem glorificantem Deum et martyres emisisset, omnes rursus ad timorem et gaudium erexit, gaudium quidem quoniam visum inopinate recepit; timorem autem, quoniam praesentes esse putabant martyras; et omnis ultores fore delicti. Cunctisque congregatis, videre Theodorum; et gravi maiorique vociferatione facta, Christodorus stupefiebat, ignorabat enim penitus quod factum fuerat: qui cum cognovisset tunc facti miraculi magnitudinem, et cum aliis omnibus quin et Theodoro,

καὶ τοὺς ἁγίους τοὺς Χριστὸν τοῖς θαύμασι μεγαλύνοντας· ἡμεῖς δὲ νῦν ὡς τότε παρόντες καὶ τὸ θαῦμα θεώμενοι, τοῖς δεδρακόσι τὰς ὑμνῳδίας προσάξαντες ἐπ᾽ ἄλλο τέρας ἐμβριθέστερον ἄπειμεν.

λβ. ΠΕΡΙ ΑΓΑΠΙΟΥ ΤΟΥ ΕΛΛΗΝΟΣ.

Πολλοὶ τὸν ἀργυροπράκτην Ἀγάπιον ἴσασιν, οὐ πρᾶσιν ἀργύρου μόνον ποιούμενον, ἀλλὰ καὶ προφανῶς ἑλληνίζοντα, καὶ ξόανα σέβοντα, καὶ λατρεύοντα τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, δι᾽ ἣν βδελλυρωτάτην δυσσέβειαν ἐλεγχόμενος, ἐν τῇ βασιλίδι τῶν πόλεων συσχεθεὶς ἐκολάζετο·

qui cum caecus fuisset visum receperat, Christum magna voce glorificavit et sanctos qui Christum magnificant per miracula. Nos autem tanquam hii qui illic tunc praesentes affuimus, et miraculum ipsum conspeximus, eis qui hoc patraverunt hymnodias offerentes, firmiori et puriori animo ad aliud prodigium vadimus.

32. DE AGAPIO GENTILI.

Multi venditorem argenti noverunt Agapium, non tantum argentum vendentem, sed et manifeste gentiliter conversantem, et simulacra colentem, et servientem creaturae potius quam creatori; propter quam abhominandam impietatem

φεύγει δὲ παρ' ἐλπίδα τῆς δίκης τὴν μάχαιραν, οὐ μεταθέσει γνώμης, οὐδεὶς γὰρ ἂν ἐπεμέμψατο, ἀλλὰ χρυσίου πολλαῖς μεταδόσεσι ὅπερ ἐστὶν ἀθεώτατον· οὔτε φιλανθρωπίᾳ νόμων, ποῦ γὰρ τὸ πρὸς τοὺς οὐ μετανοοῦντας φιλάνθρωπον; ἐπεὶ μὴ τότε φιλανθρωπεύονται, ὅτ' ἂν οἱ πταίοντες τοῖς οἰκείοις ἐναπομείνωσι πταίσμασιν· ἀλλὰ φιλαργυρίᾳ τῶν ἐκδικούντων τὰ νόμιμα· πάντα γὰρ οὕτως ὑπακούεται τῷ χρυσίῳ, ὡς Σολομῶν ὁ σοφὸς ἀπεγράψατο· πλὴν εἰ καὶ δόσει χρημάτων τὴν ζωὴν ὁ τάλας ὠνήσατο, καὶ θάνατον τὸν τότε διέφυγεν, ἀλλὰ τὸ θεῖον φυγεῖν οὐ δεδύνηται, οὐδὲ δίκης ὄμμα παντέφορον.

in regia urbe convictus, et comprehensus, et poenis affectus est : fugit autem insperate iudicii gladium, non mutatione mentis, qua hunc nemo procul dubio reprehenderet, sed multis auri distributionibus, quod est penitus impium : neque misericordia legum ; ubi enim est misericordia circa eos qui non egerunt paenitentiam? Nam non tunc misericordiam consequuntur cum peccantes quique in propriis culpis permanserunt, sed avaritia eorum quibus commissa sunt defendenda legitima. Omnia enim obediunt auro, ut Salomon descripsit ille sapientissimus. Verumtamen licet dato * pecuniarum vitam infelix redemerit, et mortem quae tunc imminebat evaserit, divinitatem

* ita cod.

Ἀποδράσας οὖν τὸ Βυζάντιον μετὰ τὴν ἐκ τῶν φρουρίων ἀπόλυσιν, εἰς Ἀλεξάνδρειαν ἔρχεται, λανθάνειν ἐνθάδε νομίσας καὶ κρύπτεσθαι· ἠγνόει γὰρ ὁ βδελλυρὸς καὶ θεήλατος ἐκ τῆς περὶ τοὺς οἰκείους θεοὺς ὑπολήψεως, ὡς ἡ θεία πανταχοῦ καθέστηκε δύναμις, καὶ τὰ πάντα πληροῖ, τὴν οὐσίαν ἀπερίγραφον ἔχουσα, καὶ τὰ πάντα συνέχει, καὶ πάντων ἐστὶν ἐπέκεινα, ὡς αὐτὴ διὰ Ἡσαΐου φησὶν πρὸς τοὺς οἰομένους αὐτὴν ἐν τόπῳ βραχεῖ περιείργεσθαι· ποῖον οἶκον οἰκοδομήσηταί μοι, λέγει κύριος, ἢ τίς τόπος τῆς καταπαύσεώς μου; οὐχὶ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν ἐγὼ πληρῶ; πρὸς ἣν ἅπαντα διὰ πολ-

tamen effugere non potuit, nec iudicii oculum qui omnia conspicit.

Byzantium ergo post absolutionem carcerum fugiens, Alexandriam venit, latere hic existimans et abscondi. Ignorabat enim abhominabilis et a Deo eiectus, ex opinione qua erga proprios tenebatur deos, quod divina ubique sit virtus, et omnia impleat, incircumscriptam habens substantiam, cunctaque contineat, et sit universorum superior; sicut ipsa per Isaiam dicit, adversus eos qui hanc in loco brevi opinabantur arceri *: quam domum aedificabitis mihi dicit Dominus? aut quis est locus requietionis meae? nonne caelum et terram ego impleo? Ad quam universa propter multam

* ita cod.

λὴν συγκατάβασιν συγκρινόμεμα, οὐρανὸς καὶ τὰ κατ' οὐρανὸν ἀγγέλων ἀναρίθμητα τάγματα, γῆ καὶ τὰ κατὰ γῆν ζῶα καὶ ἄνθρωποι, ἀὴρ καὶ ὄρνεα τὰ κατὰ τὸν ἀέρα πετόμενα, καὶ συλλήβδην εἰπεῖν ἅπαντα τὰ ὁρατὰ καὶ ἀόρατα, ὡς ῥοπὴ ζυγοῦ καθεστήκασι, καὶ ὡσεὶ σταγὼν ἀπὸ κάδου τυγχάνουσι, καὶ ὡς σιαλὸς ἐλογίσθησαν στόματος· τοῦτο γὰρ καὶ Δαβὶδ ἀκριβῶς ἐπιστάμενος ἔψαλλεν· ἐθαυμαστώθη ἡ γνῶσις σου ἐξ ἐμοῦ, ἐκραταιώθη, οὐ μὴ δύνωμαι πρὸς αὐτήν· ἧς τὸ μέγεθος ἐνδεικνύμενος, ἐπάγει καὶ φησίν· ποῦ πορευθῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός σου; καὶ ἀπὸ προσώπου σου ποῦ φύγω; ἐὰν ἀναβῶ εἰς τὸν οὐρανὸν, σὺ ἐκεῖ εἶ· καὶ ἐὰν

condescensionem comparata, caelum videlicet, et qui in caelo sunt innumerabiles ordines, terra et quae in terra sunt animalia simul et homines, aër et aves quae per aërem volitant, mare et quae inhabitant in aquis, et ut breviter asseramus, visibilia et invisibilia, sicut momentum trutinae sunt, et veluti fluens a situla gutta consistunt, et ut saliva reputata sunt oris, et reputabuntur. Et hoc enim etiam David certissime sciens psallebat: mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, non potero ad eam. Cuius magnitudinem ostendens subinfert, et dicit; quo ibo ab spiritu tuo? et a facie tua quo fugiam? Si ascen-

στρώσω εἰς τὸν ᾅδην, πάρει· ἐὰν ἀναλάβοιμι τὰς πτέρυγάς μου κατ' ὄρθρον, καὶ κατασκηνώσω εἰς τὰ ἔσχατα τῆς θαλάσσης· καὶ γὰρ ἐκεῖ ἡ χείρ σου ὁδηγήσει με, καὶ καθέξει με ἡ δεξιά σου.

Ὅθεν φυγὰς ὁ Ἀγάπιος, καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ γενόμενος, τὴν τῆς δίκης δεξιὰν οὐ διέφυγεν, ἀλλ' ὑπὸ ταύτης κατασχεθεὶς ἐκολάζετο· οὐ νόμοις παραδοθεὶς ὡς τὸ πρότερον· πάλιν γὰρ ἂν τὴν τιμωρίαν διὰ χρημάτων ἐξέφυγεν· πάντες γὰρ τὰ ἑαυτῶν ζητοῦσιν, οὐ τὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, κατὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον· ἀλλ' ἀοράτως πληγεὶς πληγὴν χαλεπήν τε καὶ ἄφυκτον· νόσος δὲ ἦν ἡ πληγὴ κατὰ παντὸς εὐρυνομένη τοῦ σώμα-

dero in caelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas ante lucem, et habitavero in postremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.

Unde fugax Agapius Alexandriam veniens, congruum iudicium non evasit, sed ad hoc detentus poenis cruciabatur, non ut prius legibus traditus; alioquin poenam iterum per pecunias effugisset. Omnes enim quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi, secundum divinum apostolum. Sed invisibiliter plagatus plaga saeva et inevitabili; languor enim erat plaga illa per totum cor-

τος, ἣν ἀσκληπιάδαι προσαγορεύουσι πάραισιν· καὶ τοῦτο δὲ φεύγειν ἠλπικὼς τὸ ἀῤῥώστημα, οὐ γὰρ δίκης ἔργον τὸ πάθος ἐνόμιζεν, ἀλλὰ σύμπτωμα σώματος, συχνῶς τοὺς ἰατροὺς μετεστέλλετο· οἱ δὲ παραγενόμενοι τὰ τῆς τέχνης ἐπ' αὐτῷ διεπράττοντο, εἰδότες μὲν ὡς οὐ ζήσεται οὐδὲ τοῦτο φύγοι τὸ νόσημα, ἀλλ' ἐλπίδι μισθῶν ἀπατῶντες τὸν ἄθλιον.

Ὡς δὲ χρόνος προέβαινεν, καὶ τὸ πάθος προέκοπτε, ὥστε καὶ τῆς γλώττης τὴν πάραισιν ἅπτεσθαι ἥτις λοιπὸν τῇ μάστιγι διελέλυτο, φωνὴν ἔτι διαρθροῦν οὐκ ἰσχύουσα· καὶ τὸν βίον αὐτὸς οὐκ ἐξήρχετο, ἀλλ' οὕτω δεινῶς ἐκολάζετο· συμβουλεύεται πρός τινων πρὸς Κῦρον ἐλ-

pus extensa, quam asclepiadae paralysin nuncupant. Et hunc quoque languorem fugere sperans, crebros medicos advocabat, non enim adversionis * opus passionem esse putabat, sed corporalem eventum. Qui venientes, quae artis erant in eo gerebant; quod quidem non victurus esset, nec languorem effugiturus scientes, sed miserum in mercedum spe decipientes.

* ita cod.

Cumque annus processisset, et passio profecisset, ita ut et linguam quoque paralysis tangeret, quae iam tanto solvebatur flagello, vocem non valens articulatam depromere, licet ipse non vita excederet, sed atrociter puniretur, consilium a qui-

θεῖν καὶ Ἰωάννην τοὺς μάρτυρας, ὡς δυναμένους αὐτὸν τοῦ πάθους λυτρώσασθαι, εἰ μετὰ πίστεως αὐτοὺς καὶ δακρύων ἀφίκοιτο· ὁ δὲ δειλαίνων μήπως αὐτὸν ὡς ἕλληνα κρίνωσιν, εἰς τοὺς ἁγίους ἐλθεῖν μὴ βουλόμενον, ὑπεκρίνετο γὰρ τὸν χριστιανὸν ὁ ἐπάρατος, καὶ τὸ τοῦ προβάτου περιεβάλλετο κώδιον, εἰ καὶ λύκος ἀληθῶς ὁ δυσσεβὴς ἐγνωρίζετο, τὴν βουλὴν εἰσεδέξατο, καὶ τὴν ἔξοδον ἐπένευσε γίνεσθαι, λανθάνειν μὲν διὰ τούτου τοὺς ἀνθρώπους οἰόμενος, ἀπατᾷν δὲ νομίζων τοὺς μάρτυρας, ὡς γνῶσιν τῶν καθ' ἡμᾶς οὐκ ἔχοντας ἔνθεον· ἀλλὰ τούτους κατὰ τοὺς ἑαυτοῦ θεοὺς λογισάμενος, τοὺς μὴ μόνον τὰ πόῤῥωθεν ἢ τῶν ἀνθρώπων τὰ κρύφια, ἀλλ' οὔτε τὰ κείμενα παρὰ πόδας

busdam accepit ad Cyrum Iohannemque martyras properandi, tamquam qui possent a passione se liberare, si cum fide ad eos et lacrimis accessisset. At ille maledictus timens nequando eum tamquam paganum iudicarent, ad sanctos venire nolentem, simulabat enim se esse christianum, et pelle tegebatur ovina, licet lupus veraciter impius nosceretur, consilium admisit, et exitum fieri annuit, latere per hoc homines opinatus, et seducere martyras arbitratus, tamquam deificam nostri scientiam non habentes, sed hos similes diis suis existimans, qui non solum quae procul sunt

γινώσκοντας· " τὰ γὰρ εἴδωλα τῶν ἐθνῶν ἀρ-
„ γύριον καὶ χρυσίον, ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων·
„ στόμα ἔχουσι, καὶ οὐ λαλήσουσι· ὀφθαλμοὺς
„ ἔχουσι, καὶ οὐκ ὄψονται· ὦτα ἔχουσι, καὶ
„ οὐκ ἐνωτιθήσονται· χεῖρας ἔχουσι, καὶ οὐ ψη-
„ λαφήσουσιν· πόδας ἔχουσι, καὶ οὐ περιπα-
„ τήσουσιν· οὐ φωνήσουσιν ἐν τῷ λάρυγγι αὐ-
„ τῶν· οἷς ἐπενεγκεῖν ἐστὶν ἀκόλουθον καὶ τὸ
„ ὅμοιον αὐτῶν γένοιντο οἱ ποιοῦντες αὐτὰ, καὶ
„ πάντες οἱ πεποιθότες ἐπ' αὐτοῖς „.

Ἥλω τοίνυν ὁ δείλαιος ἑαυτὸν οὐ τοὺς μάρτυρας, καὶ λανθάνων ἑαυτὸν οὐ τοὺς ταύτην ἔχοντας περὶ αὐτοῦ τὴν ὑπόληψιν· γενόμενος γὰρ εἰς τὸ Κύρου καὶ Ἰωάννου θειότατον τέ-

vel abdita hominum, sed nec ea quae in praesentiarum sunt norunt. Simulacra quippe gentium argentum et aurum opera manuum hominum, os habent et non loquentur, oculos habent et non audient, nares habent et non odorabunt, manus habent et non palpabunt, pedes habent et non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo. Quibus est subinferre conveniens etiam illud: similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.

Deprehendebatur igitur miser se ipsum seducens non martyras, seque latere faciens et non eos qui hanc opinionem habebant de ipso. Cum

μενος ἔβλεπεν ἐν σχήματι Χριστοδώρου τοῦ τὴν διοίκησιν ἔχοντος τὸν νεὼν περιάγοντας καὶ θυμιῶντας Θεῷ θυμιάμασι· παρ' αὐτῷ δὲ γεγονότας, ἀπειλητικότερόν πως αὐτῷ διαλέξασθαι· τί πρὸς ἡμᾶς ὁ πάσης εὐσεβείας ἀλλότριε, καὶ πάσης βδελλυρίας ἀνάπλεε παραγέγονας; χλευάζειν καὶ ἡμᾶς εἰσελήλυθας; μὰ τὸν οὐρανοῦ καὶ γῆς ποιητὴν καὶ οἰκήτορα καὶ τὴν ἐνθάδε καὶ πανταχοῦ τῆς αὐτοῦ θεότητος δύναμιν, οὐ μὴ φύγοις ἡμᾶς ὡς ὑπέλαβες, ἀλλ' ἐπὶ νῶτόν σε δημοσίως μαστίξομεν, ἵνα γνοίης σαφέστερον τίσιν ἐμπαίξαι τετόλμηκας· καὶ ταῦτα προσαπειλήσαντες ἀπῆλθον οἱ ἅγιοι.

enim ad Cyri et Iohannis sacratissimam venisset basilicam, hos dormiens intuebatur in habitu Christodori dispensationem habentis ecclesiae, per templum incedentes et Deo adolentes incensa, ad se vero accedentes, et minis acrioribus quodammodo sibi loquentes atque dicentes: quid ad nos o totius pietatis aliene, omnique abhominatione plene venisti? Deridere etiam nos advenisti? Per caeli et terrae creatorem et habitatorem, et deitatis eius quae hic est et ubique virtutem, non nos fugies, ut aestimasti, sed super dorsum te publice flagellabimus, ut cognoscas liquidius quibus fueris ausus illudere. Et cum haec adversus eum sancti intimassent, abierunt.

Ὁ δὲ στραφεὶς ἔμφοβος ἔτι καὶ ἔντρομος, νεύμασιν ἅπαντα καὶ ψελλίσμασιν τοῖς διακονουμένοις αὐτῷ διεσάφησεν· καὶ τοῦ οἰκονόμου κατὰ τὸν καιρὸν παριόντος τοῦ θυμιάματος, καὶ τὸ θυμιατήριον ἔχοντος, ἔχων τῆς ἀπειλῆς τὸ δέος ἐγκάρδιον, στρέφειν αὐτὸν τῷ ὑπηρέτῃ διέταξε· καὶ στραφεὶς ὡς διένευσε τοῖν Χριστοδώρου ποδοῖν παρ' αὐτῷ γεγονότος ἐδράξατο, καὶ μὴ μαστίζειν ἱκέτευε· αὐτὸς γὰρ ᾤετο τοὺς κατ' ὄναρ αὐτὸν μαστιγοῦν ἀπειλήσαντας· ἀγνοῶν δὲ ὁ Χριστόδωρος, πάντα γὰρ πρὸς τοῦ παιδὸς ἔμαθεν ὕστερον, ἐθαύμαζε μὲν τὸ λεγόμενον, μὴ τύπτειν δὲ αὐτὸν ὡς ἱκέτευεν ὤμοσεν.

Μετ' οὐ πολὺ δὲ τοῖς ἀσθενέσιν ὅστις ὑπηρ-

At ille cum timore quin et tremore conversus, innuendo et balbutiendo cuncta obsequentibus sibi disseruit; et cum dispensator hora incensi transiret, et turibulum retineret, habito in praecordiis pavore minarum, vertere illum ministro praecepit; et versus cum respexisset, Christodori pedes qui ad eum venerat apprehendit, et ne flagellaret se supplicabat, ipsum enim opinabatur esse qui se in somnis flagellaturus comminabatur. Ignorans autem Christodorus, omnia enim a puero didicit, mirabatur quidem quod dicebatur, non autem percutere illum, ut supplicaverat, iureiurando spopondit.

χεν γιγνώσκεται· καὶ γὰρ τὴν τῶν ζωοποιῶν ἀπηρνεῖτο μυστηρίων ὡς ἐν αἱρέσεως σχήματι ποιεῖσθαι μετάληψιν· καὶ παρὰ τῶν ἐν τῷ νεῷ θόρυβος κατ' αὐτοῦ πολὺς διηγείρετο· ὃς τοῦτο μαθὼν, καὶ θέλων ἀποτρίψασθαι τὴν ὑπόνοιαν, τῶν ἁγίων Χριστοῦ μυστηρίων μετέλαβε· καὶ θᾶττον μετὰ τὴν τούτων μετάληψιν, δαίμων ἄγριος εἰς αὐτὸν εἰσεπήδησεν, ὥσπερ καὶ εἰς τὸν προδότην Ἰοῦδαν ὁ σατανᾶς μετὰ τὸ λαβεῖν αὐτὸν τὸ ψώμιον ὅπερ ὁ σωτὴρ ἐπέδωκεν ἐμβάψας εἰσήλατο· καὶ χαμαὶ κείμενος ἐσπαράττετο, καὶ τοὺς ὀφθλμοὺς διεστρέφετο, καὶ τὰ μέλη χαλεπῶς ἐλυγίζετο, καὶ τοὺς ἀφροὺς ἐκ τοῦ στόματος ἔπεμπε κῦμα θαλάττιον ἐλεει-

Post non multum vero temporis infirmus quis esset innotuit : recusabat enim in haereseos quasi schismate positus vivificorum participari mysteriorum ; et susurrium adversus eum multum excitabatur ; quo ille comperto, suspicionem volens detergere, sancta Christi suscepit mysteria. Postque horum perceptionem, statim in eum agrestis daemon insiliit, quemadmodum satanas in Iudam proditorem, cum accepisset buccellam quam Salvator tradidit cum intinxisset, introiit ; et in terra iacens discerpebatur, et oculos reversabat, et membra saevius contorquebat, et spumas ex ore dimittebat, fluctum marinum miserabiliter imi-

νῶς ἐκμιμούμενος· καὶ νήφων μὲν ἐξ ὀλίγου, εἴπερ ἄρα καὶ ἔνηφε, λαλεῖν δὲ παντελῶς ἢ τὴν γλῶτταν ὅλως κινεῖν οὐκ ἠδύνατο· ὑπὸ τοῦ δαίμονος δὲ στρεβλούμενος, καὶ συνεχῶς ἐνεργούμενος, οὐ μὴν ἀλλὰ κοιμώμενος, εἴπερ ἐκάθευδε, μὴ πίστει προσελθὼν ἀλλ' ὑποκρίσει τοῖς μυστηρίοις ἠλέγχετο.

Τρεῖς γοῦν οὕτω διανύσας ἡμέρας ὁ ἄθλιος, καὶ πολλάκις τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτὸς, μᾶλλον πανημέριον καὶ παννύχιον σπαραττόμενος, καὶ πάντα πάσχων ὅσα πάσχουσιν οἱ δαίμοσι στυγνροῖς πιεζόμενοι, θανάτου πίστιν τοῖς ὁρῶσι παρείχετο· ὅθεν οἱ τούτῳ προσήκοντες ἐγνωκότες ὡς θᾶττον ὑπὸ τοῦ δαίμονος ἀναιρεθήσε-

tatus; et cum vigilaret paululum, si tamen veraciter vigilabat, loqui modis omnibus vel linguam movere prorsus non poterat; a daemonio vero contortus, et iugiter passus, quin etiam et dormiens, si tamen dormiebat, non fide accessisse ad sancta mysteria, sed simulatione arguebatur.

Tres ergo cum infaustus ita dies transisset, et saepe tam interdiu, quam noctu, immo tota die totaque nocte discerperetur, cunctaque pateretur, quotquot pati consueverunt hii qui a perosis daemonibus deprimuntur, mortis fidem videntibus praestitit: unde hii, quorum intererat, agnoscentes quod citius a daemone foret interimendus, re-

ται, ἀναλαβόντες αὐτὸν ἦγον εἰς Ἀλεξάνδρειαν εἰς οἶκον τὸν ἑαυτοῦ τεθνηξόμενον· ἐξελθὼν δὲ τῶν ἁγίων τὸ τέμενος, καὶ βραχὺ λίαν ὁδεύσας διάστημα, σὺν ὀδύνῃ πολλῇ τὸ πνεῦμα παρέδωκεν, τῆς δυσσεβείας ἄξιον εὑράμενος θάνατον, τοῦ δαίμονος αὐτὸν κατὰ τὴν ὁδὸν ἀποπνίξαντος· καὶ τὸν μὲν νεὼν καταλέλοιπεν ὡς μυαρός τε καὶ βέβηλος ἐλαυνόμενος, καὶ τὴν πόλιν αὐτὴν οὐχ ἑώρακεν, ὡς ταύτης ὑπάρχων ἀνάξιος· καὶ οὕτω μὲν Ἀγάπιος εἰς Θεὸν δυσσεβήσας καὶ μάρτυρας, τὸν βίον κατέστρεψε· καταστροφὴ γὰρ ὄντως ἀσεβοῦς τοιαύτη κατὰ τὸ λόγιον, καὶ ἡ ἐλπὶς αὐτοῦ ἀπολεῖται, καὶ οὐκ ἔσται αὐτοῦ τὸ παράπαν ἡ δίαιτα.

ceptum cum deportabant in Alexandriam, in domo propria moriturum. Cum autem sanctorum templum exisset, et brevi valde intervallo profectus esset, cum dolore multo spiritum tradidit, condignam impietate mortem inveniens, suffocante hunc in via daemonio. Et certe templum quidem ut scelestus et profanus pulsus dimisit, et civitatem ipsam ut hac indignus non vidit. Et sic quidem Agapius in Deum et in martyras impie peccans, vitam dissolvit. Talis enim veraciter est impii eversio, secundum divinum eloquium; et spes eius peribit, et non erit eius penitus habitaculum.

*

Ἡμεῖς δὲ καὶ δι' αὐτοῦ καὶ τῶν πρὸ αὐτοῦ τὴν μαρτυρικὴν τὴν ἐπὶ τοῖς μετανοοῦσιν καὶ τοῖς οὐκ ἐπιστρέφουσιν ὑπογράψαντες, καὶ πρὸς ὤνησιν τῶν εὐσεβούντων κηρύξαντες· ἵνα μὴ μόνας τὰς ἰάσεις θεώμενοι ἀργωτέρους πρὸς ἄμυναν τοὺς μάρτυρας οἴοιντο, καὶ ταύτῃ βλαβῶσι διάνοιαν, πρὸς καταφρόνησιν καὶ ῥαθυμίαν ἐκκλίναντες· καὶ ὕμνους ὑπὲρ τῆς ἐντεῦθεν ὀφελείας αὐτοῖς προσκομίσαντες ἕτερα δύο ἢ τρία θαύματα τερπνότερα γράψαντες, τέλος τῶν ἐπ' ἀλεξανδρεῦσι γραφέντων τεράτων οὐ γεγονότων μόνον αὐτὰ ποιησώμεθα· ἵνα πέρασι ταῦτα τερπνοῖς ὁριζόμενα, ἅπαντα τερπνὰ τοῖς ἐντυγχάνουσι φαίνοιντο· τέρποντα μὲν τοῖς ἔμπροσθεν,

Nos autem et in isto et in his qui praecesserant, id est tam in his qui egerunt, quam qui non egerunt paenitentiam, martyricam describentes virtutem, et ad profectum pie agentium praedicantes, ut non solas sanitates videntes, tardiores ad vindictam martyras opinentur, et hoc modo propter ignorantiam laedantur, ad contemptum et desidiam inclinati; et hymnos pro utilitate hinc facta eis offerentes, alia duo vel tria miracula iocundiora scribentes, finem eorum quae in Alexandrinis facta sunt prodigiorum efficiemus. Non tamen ibidem sola facta sunt quae scribentur, quo terminis haec delectabilibus definita,

τοῖς παροῦσι δὲ μικρὸν ὑποστύφοντα· καὶ πάλιν τοῖς μὲν ἡδέσι τὰ τῶν ἀκουόντων ψυχὰς θεραπεύοντα, τοῖς δὲ στυπτικωτέροις ταῦτα ἀνεπαισθήτως καθαίροντα· ὡς καὶ τῶν ἀσκληπιάδων οἱ δόκιμοι πράττουσιν· μέλιτι γὰρ τὰ δεκτικὰ καὶ ὠφέλιμα τῶν φαρμάκων συνδήσαντες ἤτοι προσμίξαντες, τοὺς δεομένους καθάρσεως ἐκκαθαίρουσιν· τούτους οὖν καὶ ἡμεῖς ἐνθάδε μιμούμενοι, τοῖς προλαβοῦσιν ἡδέσι τὰ παρόντα δεκτικὰ προσποιήσαντες, ἑτέροις ταῦτα τερπνοῖς συγκαλύψωμεν· τέλος τὰ τερπνὰ τῆς εἰς ἀλεξανδρέας θαυμάτων συγγραφῆς, οὐ θαυμάτων ἐνεργείας ποιούμενοι.

omnia delectabilia his qui legerint videantur; delectabilia quidem prioribus, praesentibus autem modicum non sine causa severa, et iterum posteros iocundari facientia; cum suavibus quidem audientium animas curent, et a severioribus sensum expurgent; sicut etiam asclepiadae probabiliter agunt: cum melle namque mordacia et profutura remedia commiscentes, eos qui purgatione egent emundant. Nos ergo et hos hic imitantes, et praecedentibus suavibus praesentia mordacia commiscentes, aliis haec iocundioribus contegamus, finem facientes delectabilem, non omnium conscriptionis miraculorum, eorum sed miraculorum tantum apud Alexandrinos gestorum.

λγ. ΠΕΡΙ ΚΟΣΜΙΑΝΗΣ ΑΠΙΟΥΣΗΣ ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΑΓΙΟΥΣ ΤΟΥ ΕΥΞΑΣΘΑΙ ΚΑΙ ΠΕΣΟΥΣΗΣ ΕΚ ΤΟΥ ΑΛΟΓΟΥ ΚΑΙ ΣΥΝΤΡΙΒΕΙΣΗΣ ΤΟ ΣΩΜΑ.

Ἡδὺ καὶ τὸ παρὸν ἡμῖν θαῦμα καθέστηκεν, ὅπερ ἐπὶ γυναίῳ τινὶ Κοσμιανῇ τοὔνομα τοῖς μάρτυσι γέγονε· καὶ τάχα καλῶς μετὰ τὴν τῶν αὐστηροτέρων ἀγγελίαν ἀπήντησεν, ἵνα τὴν ἐκεῖθεν δοκοῦσαν ἔσεσθαι λύπην ἡμῖν, ὥσπερ ἐπὶ σπόγγου τινὸς παρελθὼν ἀναμάξηται· καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλ' ἵνα ὥσπερ ἀπὸ γυναίων τῶν ἀνιώντων ἡ διήγησις ἤρξατο, οὕτω καὶ τῶν ἡδόντων ἡ γραφὴ ἀρχὴν ἔχει πάλιν τὰ γύναια· οὕτω γὰρ καὶ ὁ κύριος μετὰ τὴν ἀνάστασιν φαίνεται πρώταις γυναιξὶ τὸ χαῖρε δωρούμενος, ἐπειδὴ καὶ πρώταις αὐταῖς μετὰ τὴν ἐν παρα-

33. DE COSMIANA, QUAE AD SANCTOS ORATUM ABIIT, ET DE IUMENTO CECIDIT, CORPUSQUE CONTRIVIT.

Suave nobis etiam praesens extitit miraculum, quod a sanctis in muliere quadam Cosmiana nomine factum est, et fortassis austeriorum recitationi occurrit, ut tristitiam quae illinc nobis fore putabatur, cuiusdam spongiae more detergeret; et non tantum hoc, sed ut sicut a tristibus mulierum narratio coepta est, ita etiam laetorum scriptura inceptionem feminas habeat. Sic enim et Dominus post resurrectionem apparens, primo avete mulieribus donat, quoniam primo eis

δείσῳ παράβασιν, τὰ τῆς λύπης ἐφθέγξατο ῥήματα· τοῦτο κρίνας αὐτὸς δικαιότατον, ἵνα πρῶται τὸ λυπεῖσθαι δεξάμεναι, αὐταὶ πρῶται καὶ τὸ χαίρειν κομίσωνται, καὶ μὴ ᾖ σχίσμα ἐν τῷ σώματι κατὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον, τὸν κεφαλὴν μὲν γυναικὸς τὸν ἄνδρα καλέσαντα, ἀνδρὸς δὲ σῶμα τὴν γυναῖκα θεσπίσαντα· καὶ μήτε γυναῖκα χωρὶς ἀνδρὸς, μηδ' ἄνδρα χωρὶς γυναικὸς τὸ πᾶν εἶναι σῶμα βουλόμενον· ἢ τὸ μὲν τοῦ σώματος τὸ χαίρειν, τὸ δὲ τὸ λυπεῖσθαι πρῶτον ἐδέξατο.

Οὐκοῦν παρεῖτο τὸ γύναιον· και ὥσπερ Ἀθανασία πρώτη τῶν λυπεῖν δοκούντων θαυμάτων γεγένηται, οὕτω καὶ Κοσμιανὴ πρώτη τῶν ἐχόν-

post factam in paradiso transgressionem tristitiae verba pronunciavit. Hoc iudicans ipse iustissimum, ut quae primae tristari susceperant, ipsae quoque primae gaudere perciperent, et nec esset schisma in corpore, secundum divinum apostolum, qui caput mulieris virum vocavit, et viri corpus mulierem sanxit; et neque mulierem sine viro, neque virum sine muliere, corpus fore vult universum, cum alterum quidem corporis gaudium, alterum vero tristitiam prius susceperit.

Ergo assit mulier, et sicut Athanasia miraculorum prima, quae tristare videntur, effecta est, ita et Cosmiana prima eorum quae magnanimi-

των τὸ εὔθυμον γίγνοιτο· ἔῤῥωτο τοίνυν αὕτη τῷ σώματι, καὶ πάθος οὐδὲν ἔσχεν ἢ νόσημα· κατ' οἶκον δὲ διατρίβουσα, πόθον ἔσχεν ἐλθεῖν εἰς τοὺς μάρτυρας, καὶ προσκυνῆσαι τούτων τὰ λείψανα, καὶ τὴν βρύουσαν ἀπ' αὐτῶν εὐλογίαν καρπώσασθαι, καὶ πληρῶσαι τὸν πόθον ἐθέλουσα, ἐπ' ὄνῳ μικρὸν ἀτάκτῳ καθίσασα, πρὸς τὸ τέμενος ὥδευε· ταύτην ὁ τοῦ φθόνου πατὴρ θεασάμενος, σὺν πόθῳ πλείονι πρὸς τοὺς ἁγίους ὁρμήσασαν, μεγάλην αὐτὸς τὴν ζημίαν ὑφέξειν ἐνόμιζεν, εἰ μετὰ τοσαύτης σπουδῆς καὶ θερμότητος εἰς τὸν ναὸν τὸν θεῖον ἀφίκοιτο, καὶ μὴ καθ' ὁδὸν ταῖς πονηραῖς αὐτοῦ παγίσι προσκόψασα, ποιήσαιτο τὴν ἐπάνοδον, μήτε τὸν σηκὸν ἰδοῦσα τὸν ἔνθεον, μήτε τὸ σέ-

tatem habent, efficiatur. Itaque incolumis erat haec corpore, et passionis nil habebat. Porro domi degens, desiderium habebat venire ad martyras, et adorare horum reliquias, ac emanante ab illis benedictione potiri. Et adimplere desiderium volens, cum pauxillum supra inquietum sedisset asinum, ad templum iter agebat. Hanc invidiae pater cum multo ad sanctos amore properare videns, magnam se putabat sustinere iacturam, si cum tanto studio et calore ad divinum templum ipsa pertingere potuisset, et non in itinere in magnos laqueos eius offendens reditum faceret, neque dei-

βας δοῦσα τὸ πρόσφορον, μήτε τὸ δῶρον λαβοῦσα τὸ τίμιον· λυποῦσι γὰρ αὐτὸν καὶ δάκνουσιν ἅπαντα τὰ τὸν Θεὸν ὡς ἀγαθὸν θεραπεύοντα, καὶ τοὺς φιλοθέους ἀνθρώπους εὐεργετοῦντα καὶ σώζοντα.

Ὅθεν ἐπὶ τὰ μέσα τῆς ὁδοῦ τὸ γύναιον ὡς ἴδε γενόμενον, ῥίψας ἀθρῶον τὸ φέρον αὐτὴν ὑποζύγιον ἐπ' ἔδαφος ἤνεγκεν εἰς τοὐπίσω πεσεῖν, καὶ τὸν νῶτον ἡγεῖσθαι ποιήσας τοῦ πτώματος, ὃ φορᾷ σφοδροτέρᾳ φερόμενον τῇ γῇ προσραγὲν, ὅλον εὐθὺς συνετρίβετο, καὶ νεκρὰν ἐπὶ πολὺ τὸ γύναιον ἔδειξεν· τάχα δ' ἂν καὶ πρὸς τάφον παρέπεμψεν, εἰ μὴ τοὺς μάρτυρας ἀναψύχοντας εὕρισκε· καὶ θανοῦσαν σχεδὸν ἀνε-

fica confessione visa, neque cultura data, neque munere pretioso impenso. Tristem quippe hunc reddunt, et mordent omnia quae Deum tamquam benignum placant, hominibusque Dei amicis beneficia praestant, et salutis argumenta.

Unde cum ad medium itineris mulierem venisse vidisset, iactato repente subiugali, quod portabat eam, ut in terram retrorsum caderet impulit, et ut dorsum ante alias partes corporis illisum rueret, fecit. Quod cum impetu validiori deferretur in terram, illisum est, et totum confestim contritum, mortuamque diutius mulierem demonstravit; fortassis et ad sepulchrum mississet,

γείροντας καὶ ζωὴν πάλιν ταύτην παρέχοντας· μετὰ πολὺν γοῦν αὐτὴν ἀνανήψασαν, ἐτέθνήκει γὰρ τῷ ῥοιζῷ τότε τοῦ πτώματος, καὶ πάντα αὐτῇ τὰ ὀστὰ διελέλυτο, εἰς πόλιν ἀποστρέφειν οἱ συνόντες ἠβούλοντο, ἵνα θερμά φησὶν ἔχουσαν ἔτι τὰ τραύματα, πρὸς ἰατροὺς ἀπενέγκωσιν, καὶ μὴ μετὰ ψύξιν καὶ νέκρωσιν· δοκοῦσιν γὰρ τὰ τῶν τραυμάτων θερμότερα, καὶ πρὸς ἴασιν ἑτοιμότερα, καὶ μήτε τοσοῦτον ἰατροῖς παρέχειν τὸν κάματον, μήτε μὴν ἄλγος ἐμποιεῖν τοσοῦτον τοῖς πάσχουσιν, ὅσον τὰ μετὰ πλῆξιν ψυχούμενα καὶ βραδύνοντα δέξασθαι φάρμακον· ἡ δὲ τὴν ἐκκοπὴν τῆς εἰς τοὺς ἁγίους

nisi refrigerantes martyras invenisset, et paene mortuam erigentes, et vitam iterum concedentes. Post multum ergo, cum illa recreata paululum respirasset, mortua enim erat prae magno impetu casus, et omnia ossa eius fuerant dissoluta, in civitate qui simul aderant repedare volebant, ut dum calida inquiunt habet adhuc vulnera, ad medicos referatur, et non post congelationem et mortificationem; videntur enim calidiora vulnera, et ad sanandum magis esse facilia, et medicis tam magnum non praestare laborem, neque tantum his qui patiuntur inferre dolorem, quantum quae post percussionem frigescunt, et admittunt tarde remedia. Quae impedimentum profectionis ad san-

ἀφίξεως, δαίμονος ἔργον εἶναι νοήσασα, πάλιν νοστεῖν οὐκ ἠνέσχετο, πρὸ τῆς τοῦ πόθου πληρώσεως· πάλιν οὖν ἐπὶ τὸ κτῆνος αὐτὴν μετὰ δυσχερείας πολλῆς ἀνενέγκαντες, ἔμπροσθέ τε καὶ ὄπισθε, μετὰ πολλῆς ἀσφαλείας κατέχοντες, διὰ τὸ παντελῶς αὐτὴν κατέχειν ἑαυτὴν ἐπ' ἀλόγῳ μὴ δύνασθαι, σὺν κινδύνῳ πολλῷ πρὸς τοὺς μάρτυρας ἤγαγον· καὶ προσευξαμένην αὐτὴν, καὶ τὴν αὐτῶν σορὸν προσκυνήσασαν, ἐπὶ τὸ ἄστυ πάλιν εἰσήνεγκαν, παραμένειν τῷ νεῷ μέχρι ῥώσεως οὐ θελήσασαν· ἀλλὰ τοῦτο πρὸς τοὺς ἁγίους ἀστειώτατα λέξασαν.

Πολλοὶ μὲν, ὦ Χριστοῦ μιμηταὶ καὶ θεράποντες μάτυρες, νοσοῦντες πρὸς ὑμᾶς ἀφι-

ctos agendae, daemonis esse opus intelligens, redire nullatenus patiebatur ante desiderium adimpletum. Rursus ergo eam supra iumentum cum multa difficultate imponentes, anteque ac retro cum ingenti cautela retinentes, eo quod continere se ipsam supra iumentum nullo modo posset, cum multo periculo ad martyras adduxerunt. Et cum orasset, eorumque tumulum adorasset, in urbem hanc iterum introducunt, permanere in templo usque ad incolumitatem nolentem, sed hoc ad sanctos urbane dicentem.

Multi quidem, o Christi aemulatores et famuli sancti martyres, aegroti ad vos venientes, cum

κνούμενοι, μετὰ ῥώσεως καὶ χαρᾶς ὑποστρέφουσιν, ἐγὼ δὲ μετὰ ῥώσεως ἐξελθοῦσα τῆς πόλεως, πρὸς ὑμᾶς ἐλθοῦσα, ταύτης ποιήσασθαι φύλακας, μετὰ πόσου κινδύνου καὶ νοσήματος ἐπανέρχομαι· καὶ νῦν εἰ μὲν ἀσθενοῦσα τῆς ἑστίας ἐλήλυθα, παρέμενον ἂν μέχρις οὗ τελείαν ἐκομισάμην τὴν ἴασιν· ἐπειδὴ δὲ πρὸς ὑμᾶς οὐ πάθους ἕνεκα καὶ παραμονῆς παραγέγονα, ἀλλ' εὐχῆς καὶ προσκυνήσεως, ἣν ὁ μισόκαλος κωλῦσαι τεθέληκεν, ἀλλ' οὐκ ἴσχυσεν, τὴν ὑμῶν εὑρὼν συζυγίαν ἀντίπαλον· ταύτην ὡς ἠβουλόμην τελέσασα, πάλιν οἴκαδε πορεύομαι, οὐκ ἄλλους ἰατροὺς τοῦ ἐμοῦ ποιησαμένη νοσήματος, ἀλλ' ὑμᾶς ἐλθεῖν ἐκεῖσε προτρέπουσα, καὶ τὴν ὑμῶν ἀρωγὴν ἀναμένουσα· ἵν' ὥσπερ ἐρ-

sospitatis gaudio revertuntur; ego autem quae de civitate cum incolumitate egressa sum, et ad vos veni, huius vos factura custodes, cum quanto periculo et languore revertor! Et nunc si infirma quidem a domo profecta fuissem, perseverarem utique quo usque perfectam reciperem sanitatem; quia vero ad vos non passionis et perseverantiae causa veni, sed orationis et adorationis, quam osor bonorum inhibere voluit, sed non valuit, vestram inveniens combinationem adversam, hanc sicut volui consummavi, domum regrediar, non alios medicos mei factura languoris, sed vos ex-

ρωμένην με τῆς ἑστίας εἰλήφατε, οὕτως ἐκεῖσε γιγνομένην ἰάσησθε· ταῦτα πρὸς Κῦρον καὶ Ἰωάννην τοὺς μάρτυρας φήσασα, τὸν τούτων νεὼν καταλέλοιπε, καὶ σὺν πολλῷ τὴν πόλιν κινδύνῳ κατείληφεν, ἀδιστάκτως πιστεύουσα, ὡς πάντως ἐλθόντες οἱ ἅγιοι, κατ' οἶκον αὐτὴν θεραπεύσωσιν· ὃ καὶ γεγένηται.

Κυροῦν γὰρ τὴν πίστιν τῶν εἰς αὐτοὺς πιστευόντων σπουδάζουσιν, ἔργῳ δρῶντες ἅπερ ἐκεῖνοι πιστεύουσιν, καὶ πιστοτέρους αὐτοὺς τῆς τῶν πιστευθέντων δωρεᾶς ἐργαζόμενοι· κατ' αὐτὴν γὰρ τὴν νύκτα σχήμασιν ἰατρῶν ἀφικόμενοι, τί ἂν ἔχοι τὴν Κοσμιανὴν καθεύδουσαν ἤροντο· ἡ δὲ τὸ πάθος ἀπήγγελλε, καὶ τοῖς

hortans venire, et vestrum praestolans adiutorium, quatinus sicut me a domo accepistis incolumem, ita illuc remanentem sanetis. His ad Cyrum et Iohannem martyres dictis, basilicam horum deseruit, et cum multo ad civitatem discrimine venit, indubitanter credens quod sancti domum venturi, se forent procul dubio curaturi, quod et factum est.

Stabilire quippe fidem in se credentium satagunt, opere gerentes quae illi credunt, et fideliores eos his qui crediderant collatis muneribus operantes. Eadem igitur nocte in habitu monachorum venientes, quidnam haberet Cosmianam

ni, si divina vestra coloratione fuerint destituta. Ipsum autem tamquam servum inutilem, et quod facere debuit facientem suscipite, et veluti debitorem devotum admittite, et venia in his eum facite dignum, sensus eius exiguitatem scientes, et linguae tarditatem non ignorantes, et sermonis humilitatem inspicientes. Et viventem quidem semper protegite, et divina semper virtute custodite, semper a saeculi malis salvate, semper ab omni temptatione praesenti ac futura eruite, vigilantem et dormientem, in terra, in mari, in civitatibus, et in solitudine constitutum. Defunctum autem, et vitam hanc deserentem a tetra confu-

τῆς αὐτοῦ δόξης ἐπόπτην ποιήσοισθε, καὶ τῶν ἐπηγγελμένων τοῖς ταύτην ὁρῶσιν ἀγαθῶν κοινωνὸν ἀπεργάσοισθε (1)· ὧν ἀεὶ πάντας ἡμᾶς ἐπιτυχεῖν ἀξιώσοιτε ἐν Χριστῷ τῷ θεῷ ἡμῶν, μεθ' οὗ τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι δόξα τιμὴ κράτος μεγαλοσύνη τε καὶ μεγαλοπρέπεια, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν.

sione liberate, et Domino praesentate, et maiestatis ipsius inspectorem facite, et communicatorem bonorum quae his qui hanc viderint repromissa sunt operamini. Quae omnes nos consequi mereamur; in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri sanctoque spiritui est gloria, honor, imperium, magnitudo, magnificentia, et semper et in saecula saeculorum. Amen.

(1) Observent haec heterodoxi qui sanctorum invocationem, supplicesque ad eos preces irrident.

Postremi huius miraculi, itemque primi, liberam ex Sophronio narrationem aliam dabimus in sequente volumine, auctore Petro parthenopensi, ut videlicet agnoscant eruditi quantum intersit inter politum huius stilum (quamquam hominis saeculo undecimo scribentis) et duram ac semibarbaram Bonifatii Anastasiique elocutionem, etsi hi tribus prope saeculis Petrum praeeverterunt.

In calce codicis, qui sophronianum opus latine continet, Anastasio interprete, haec leguntur, de aetate ipsius codicis et de amanuense.

Finito libro, sit laus et gloria Christo.
Qui libro legit in isto,
Gualterio animam benedicat magistro.
Presbyter hoc opus fecit Gualterius
Cum tertius papa resideret Innocentius.

Anno millesimo ducentesimo quarto, per manus suprascripti libro peracto, rogatu Cencii cancellarii senatoris (1).

Date ergo honorem sanctis martyribus Cyro et Iohanni, pro quorum ipse amore fecit. Illorum precibus portae eidem aperiantur paradisi scilicet, et infernales claudantur.

Qui multa bona in vita atque post mortem fecerunt,
Ab Alexandria Saracenorum Romam venerunt (2).

(1) Hic fuit deinde Honorius III. papa.

(2) Intelligitur translatio reliquiarum SS. Cyri et Iohannis Alexandria Romam, de qua nos diximus in praefatione.

DE ACTIS SINCERIS S. PETRI ALEXANDRINI ·M·

EDITORIS MONITUM.

Anastasium bibliothecarium transtulisse e graeco passionem sancti Petri Alexandriae episcopi, adfirmat primum ipsemet Anastasius in prologo suo ad passionem martyrum ·M·CCCC·LXXX·, quem Mabillonius in museo italico T. I. part. 2. p. 80. vulgavit : post translatam a me ad petitionem sanctitatis tuae (*loquitur cum Petro episcopo gavinensi*) passionem praecipui doctoris et martyris Petri alexandrinae urbis episcopi. *Deinde anonymus biographus Iohannis ·VIII· PP. apud Muratorium R. I. S. T. III. part. 1. p. 269. id ipsum confirmat :* Anastasius rom. ecclesiae bibliothecarius transtulit etiam de graeco in latinum passionem sancti Petri alexandrini archiepiscopi. *Veruntamen ex diversis quae habentur sancti Petri passionibus, quamnam Anastasius transtulerit, coniectura cognoscendum est. Etenim Surius ad diem 26. novembris quaedam breviora acta recitat, eaque ab Anastasio esse arbitratus est, propterea quod in codicibus legerat prologum ad martyrum ·M·CCCC·LXXX· passionem, cuius supra meminimus ; itaque iisdem verbis utitur Surius quibus Anastasius in dicto prologo, nempe* praecipui doctoris et martyris Petri alexandrinae urbis episcopi (*vel* patriarchae, *ut Surius et codex vat. reginae Svecorum 542. f. 72. b.*) *Surii tamen sententiae, nulli certo argumento innixae, non adquievit Baronius in adnotationibus ad martyrologium dicta die. Sic enim ait : " habemus alia eiusdem Petri acta „ pleniora in vet. cod. ms. quae quoniam accuratius „ conscripta noscuntur, Anastasio mea sententia po-*

„ *tius tribuenda videntur. Est illorum exordium* : si „ omnes mei sensus (*labitur memoriâ Baronius qui* „ *scribere debuit* si omnes mei corporis artus , *uti le-* „ *gitur apud nos.* „) *Eandem de istis actis sententiam prae se tulerat Baronius in annal. ad an. cccx. qui et ipsis ad contexendam Petri historiam naviter usus est. Ego igitur auctoritate Baronii fretus , praetereaque bonitate captus actorum horum , quae in pervetusto codice reperi vaticano* 602 , *decrevi illico post Sophronium , qui multa nobis in hoc volumine de alexandrina civitate narravit , passionem hanc celeberrimi eiusdem urbis episcopi et martyris collocare ; praesertim cum idem Anastasius tum sophroniani operis tum Petri actorum interpres fuerit.*

Praeter haec sincera et anastasiana de quibus hactenus dixi acta , latina alia legebam in codice vat. 622 , *aeque ferme antiquo ; haec tamen illa ipsa sunt quae Combefisius in lectis triumphis martyrum p.* 189. *seqq. graece edidit , et latinitate nova donavit , quia veterem codicis vaticani textum ignorabat. Tria sunt igitur sancti Petri alexandrini martyris acta ;* 1. *sincera nostra et omnium optima, Baronio iudice;* 2. *breviora illa latina apud Surium;* 3. *graeca combefisiana quae sunt eadem latine in codice ut diximus vat.* 622. *Nos vero prima et praestantia atque inedita recitabimus.*

SANCTI PETRI

EPISCOPI ALEXANDRINI ET MARTYRIS

ACTA SINCERA

ANASTASIO BIBLIOTHECARIO INTERPRETE.

Si omnes mei corporis artus verterentur in linguas, omnesque membrorum compages articulatas ederent voces, quis vel qualis, quantusve fuerit beatissimus pater noster Petrus alexandrinae sedis archiepiscopus, exprimere nullatenus sufficerem. Praesertim quanta tyrannorum pericula, quantosque gentilium atque haereticorum subierit conflictus, papyris omnia tradere, vel maxime incongruum ducimus, ne favoris illius panegyricum commendare potius videamur quam passionum, cuius praeclaro annisu populum Deo acquisitum salvum facere viriliter cucurrit. Verumtamen quia ad intimae conversationis ac mirificae eius actionis narranda praeconia ratio succumbit, et sermo sufficere nullatenus valet, ideo commodum aestimamus ea solummodo describere, quibus utique ad pontificatus apicem conscendisse pandatur, et Arrio a catholica unitate praeciso, martyrialibus laureis sit coronatus. Hunc tamen gloriosum finem ac magnifici certaminis speculum, operae pretium eis sufficere credo, qui nostram adtendunt devotionem, ac sine mendacii fuco veridicam non ambigunt narrationem. Huius itaque sanctissimi viri episcopale inchoantes exordium, ipsius flagitemus orationem, ut nos eam nostro stilo cooperatricem habere gaudeamus.

Alexandria igitur urbs copiosae magnitudinis est, quae non Aegyptiorum solummodo sed etiam Thebaeorum atque Libycorum haud procul ab Aegypto principatum tenet. Salutiferae autem Iesu Christi domini nostri incarnationis, ducentorum octoginta et quinque annorum circulus volvebatur, cum venerabilis Theonas eiusdem civitatis papa aethereo volatu caelestia regna conscendit (1). Cui profecto memoratus Petrus ad ministranda ecclesiae gubernacula succedens, ab omni clero et christiana plebe ordinatus est pontifex, sextus decimus scilicet a Marco evangelista simulque archiepiscopo eiusdem civitatis. Hic enim velut lucifer inter astra consurgens, sanctarum radiis virtutum emicans, arcem fidei magnificentissime gubernabat. In scripturis vero divinis priorum nullius inferior, ad ecclesiae utilitatem atque instructionem nobiliter insistebat; prudentiâ quoque singularis, et in omnibus perfectus, vere sacerdos et hostia Dei erga omnem sacerdotii curam diebus ac noctibus vigilanter desudabat.

Sed quia semper zelo percutitur virtus, feriuntque summos fulgura montes, aemulorum hinc inde multifarios patiebatur conflictus. Quid plura? paene omni tempore vitae suae in persecutione degit. Ordinavit interea quinquaginta et quinque episcopos. Meletius denique, nomine et mente nigerrimus, apud Lycopolitanam urbem schismaticus factus est praesul; multa quidem contra canonum agens regulam, superansque etiam cruentorum militum feritatem, qui in Domini passione veriti sunt dominicam scindere tunicam; adeo laxatis insaniae raptabatur habenis, ut catholicam scindens ec-

(1) Apud Eusebii chronicum, in utraque mea editione mediolanensi ac romana, ad hunc fere annum non obitus sed initium episcopatus Theonae refertur.

clesiam, non solum per civitates Aegypti, sed etiam per villas eius, suos sequaces ordinaret episcopos, et nihil ei curae de Petro erat, immo nec de Christo qui erat in Petro. Huic praefatus Arrius adhuc laicus adhaerebat, necdum clericali tonsura notatus, eratque illi eiusque domui admodum carus; nec immerito, omne animal ut ait scriptura simile sibi diligit. His autem cognitis vir Domini maerore confectus hanc persecutionem aiebat peiorem esse priore. Et licet quibusdam latebris absconsus, tamen pro viribus exhortatorios ubique dirigens apices, praedicansque ecclesiae unitatem, vegetabat eos adversus imperitiam et nefariam Meletii temeritatem. Unde factum est ut non pauci eius salutaribus monitis animati, a meletiana discederent impietate.

Per idem fere tempus Arrius viperea armatus versutia, quasi deserens Meletianos confugit ad Petrum, qui rogatus ab episcopis sublimavit eum diaconii honore, nesciens quippe tantam eius hypocrisin. Erat autem instar colubri pestifero suffectus veneno. Neque enim huiusmodi manus impositio huic sancto in crimen deputari potuit, sicut nec Simonis magica ars simulata adscribitur Philippo. Meletianorum interea detestabile nefas supra modum crescebat, pavensque beatissimus Petrus ne haeretica pestis totum sibi creditum invaderet gregem, simulque sciens quod nulla societas est luci cum tenebris, nullaque concordia Christo et Belial, Meletianos ab ecclesia per litteras segregavit. Et quia mala voluntas diu occultari non valet, ilico nefandissimus Arrius, propterea quod suos fautores ab ecclesiae dignitate cerneret divisos, tristitiae mancipatus gemebat. Quod sanctissimum virum minime latuit. Denudata namque eius hypocrisi, protinus evangelico

utens ferro, si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proice abs te, Arrium ab ecclesiae compage, utpote putridum membrum detruncans, foras expulit, et a fidelium communione extorrem esse mandavit.

His ita gestis, subito admodum ablata persecutionis procella, pax licet exigua refulsit. Tunc elegantissimus Domini pontifex populo manifestus illuxit, coeperuntque fideles ad martyrum memorias catervatim currere, et ad Christi laudem coetum congregare; quos divinae legis antistes divino oraculo vivificabat, erigebat, atque roborabat, crescebatque iugiter in ecclesia multitudo credentium. Sed haec non aequis oculis ille antiquus aspiciens humanae salutis hostis *haud* in longum quievit. Nam subito paganitatis turbo ex adverso intonuit, et more hibernalis imbris ecclesiae serenitatem perculit, eamque procul fugavit. Sed hoc ut manifestius intelligi possit, necessario ad impiissimi et Deo rebellis Diocletiani atrocitatem, pariterque Maximiani Galerii reflectimus articulum, qui eo tempore cum filio suo Maximino tyrannico dominatu orientales vexabat regiones.

Huius namque temporibus in tantum christianae persecutionis aestuabat incendium, ut non solum in uno mundi climate, sed etiam per universum orbem terra marique impietatis procella tonaret. Discurrentibus itaque hinc inde imperialibus syllabis atque crudelissimis decretis, Christicolae nunc palam nunc clandestinis iugulabantur insidiis; nullus enim dies nullaque nox ab effusione christiani cruoris transibat immunis. Nec typus interfectionis horrebat simplex; alii quidem diversis et acerrimis necabantur suppliciis; alii vero, ut etiam parentum humanitate patriaque carerent sepultura, ad alia transferebantur loca, novis

quibusdam et saeculo inauditis poenarum machinationibus ad martyrii compellebantur metam. Proh nefas! tanta erat illorum impietas, ut etiam divini cultus sanctuaria a fundamentis everterent, sanctosque libros igni cremarent. Defuncto itaque execrabilis memoriae Diocletiano, Constantinus maior ad regni gubernacula electus est, et occiduis partibus principatus sui coepit moderari habenas.

His profecto diebus Maximino (1) a quibusdam de praefato archiepiscopo relatum est, videlicet quod ipse christianitatis dux atque signifer esset; qui solita inflammatus nequitia, e vestigio iussit comprehendi Petrum et in carcerem retrudi. Quam ob rem quinque tribunos stipatos militum catervis Alexandriam destinavit; qui venientes iuxta quod sibi fuerat imperatum, subito rapientes Christi pontificem carceris custodiae manciparunt. Mira fidelium devotio! Ubi compertum est quod tantus vir carceralibus clauderetur ergastulis, cucurrit supra modum incredibilis multitudo, praecipue monachorum ac virginum chorus, et non materialibus armis sed lacrimarum rivulis et piae mentis affectu circumdederunt carceris ambitum, et tamquam boni filii erga bonum patrem, immo christiana membra christianissimo capiti, totis compassionum visceribus adhaerebant, erantque illi murus, observantes ne quis paganorum ad eum ingrediendi copiam haberet. Una nimirum omnium vota, consona vox, eademque compassio, mori potius quam sanctum quippiam mali perpeti viderent (2). Vir autem Domini cum

(1) Rectissime noster ponit Petri passionem sub Maximino, non sub Diocletiano, quod facit graecus ille biographus a Combefisio vulgatus, quo loco doctus editor p. 222. errorem hunc coarguit.

(2) Sic prorsus excubabat mediolanensis pia plebs circa Am-

paucos dies eodem nervo teneretur retrusus, tribuni fecerunt de ipso regi suggestionem; ille autem iuxta morem suae ferocitatis destinavit sententiam, ut beatissimum patriarcham capitali punirent discrimine. Porro dum hoc per aures christianorum serperet, coeperunt omnes unanimiter carceris aditum cum luctu et gemitu custodire, et obsistentes neminem gentilium illuc ingredi permittebant. Tribuni vero cum ad eum iugulandum nullatenus haberent ingressum, habito consilio statuerunt ut cuncti milites nudatis mucronibus popularem irrumperent turbam, et sic eum dumtaxat ad decollandum foras extraherent; mox vero siquis obsistere vellet, gladio interiret.

Arrius interea adhuc levitico tantum honore coloratus (1), metuens ne post exitum tanti patris reconciliari nullatenus valeret, adiit eos qui nobiliores erant in clero, et luctuoso precario blandoque sermone utpote simulator conabatur sancto suadere archiepiscopo, ut illi misericordiâ indulgeret, eumque ab huiusmodi solveret obligatione. Verum quid simulato corde fallacius? Quid sancta compositione simplicius? Haud mora; ingressi sunt qui rogati fuerant ad Christi pontificem, et post consuetam orationem, consternati solo cum gemitu et lacrimis sacras eius deosculantes manus, flagitabant eum dicentes: te quidem, beatissime pater, secundum fidei dignitatem Dominus ad martyrii coronam vocavit, quam te celerius accipere, nequaquam ambigimus. Idcirco iustum putamus, ut solita pietate indulgeas Arrio, eiusque fletibus veniam tribuas.

brosium episcopum suum, cui furor Iustinae arrianae imperatricis imminebat, teste oculari Augustino Confess. lib. IX. cap. 7.

(1) Recte hoc dicitur, secus ac graeca acta Combefisii et cod. vat. 622. in quibus falso dicitur presbyter Arrius sub Petro.

Quibus auditis vir Domini cum indignatione submovit eos, et elevatis sursum manibus exclamans dixit: pro Arrio me audetis supplicare? Arrius et hic et in futuro saeculo a gloria filii Dei Iesu Christi domini nostri semper erit segregatus semperque manebit extorris (1). Haec illo protestante, omnes qui aderant, timore perculsi tamquam muti reticebant. Porro suspicati sunt eum non sine divino nutu talem in Arrium proferre sententiam. Quos dum clementissimus pater cordis compunctione silentes ac maestos aspiceret, noluit austerus permanere, vel eos quasi contempnens sine satisfactione relinquere; sed assumens Achillam et Alexandrum, qui in sacerdotibus seniores ac sanctiores esse videbantur, unum ex eis habens ad dexteram, alterum quoque ad laevam, paululum eos segregavit a ceteris, et clauso sermone dixit ad eos: nolite me, fratres, tamquam inhumanum ac rigidum accipere; revera enim et ego homo sum sub lege peccati degens; sed credite meis sermonibus. Latens Arrii dolus omnem superat iniquitatem, omnemque supergreditur impietatem; et hoc non a memet ipso asserens, eius sancivi segregationem. Hac etenim nocte dum sollempniter preces ad Deum funderem, astitit mihi quidam puer quasi duodecim annorum, cuius faciei claritatem ferre non poteram, nam tota haec cella in qua stamus immenso lumine radiabat. Ipse autem linostimum erat indutus colobium, scissum in partes utrasque a collo usque ad pedes, tenensque gemina

(1) Addunt heic acta combefisiana *quemadmodum ille Dei filium a paterna gloria et substantia sequestravit.* Male, quia nondum Arius suam haeresim patefecerat, sed ob schisma tantummodo meletianum, et suspectam agendi rationem exclusus fuerat. Hoc additamentum ne alter quidem codex vat. 622. agnoscit.

manu colobii scissuras, applicabat eas pectori suo, quatenus propriam tegeret nuditatem. Ad hanc quippe visionem ego miratus obstupui. Mox ubi data est mihi loquendi fiducia, exclamans dixi: Domine, quis tibi hoc scidit indumentum? Et ille: Arrius me scidit, sed praecave omnino ne eum in communionem recipias; ecce enim crastina die venturi sunt qui te pro eo postulabunt. Vide ergo ne suasus acquiescas illis; quin potius iubeto Achillae pariterque Alexandro presbyteris, qui post tuum transitum recturi sunt ecclesiam meam, ne aliquatenus illum recipiant. Tu autem futurus es martyrii sortem velocius explere. Huius autem visionis causa nil amplius fuit. Ecce satisfeci vobis, et quae iussa sunt prorsus annunciavi. Ceterum quid ex his facietis, vos videritis. Et de Arrio quidem haec.

Nostis praeterea, karissimi, et bene nostis qualiter huc usque vobiscum conversatus sum, quantasque conflictationes ab idololatris sustinui gentilibus, qui dominum Salvatorem ignorantes, multitudinem Deorum qui non sunt, insanientes diffamare non cessant. Scitis profecto quomodo persecutorum declinando rabiem, de loco ad locum profugus ibam. Plurimum namque in Mesopotamia latitans degi, ac perinde apud Syriam Phoenicis delitui, in utraque etiam Palaestina diutius peregrinationem sustinui; et exinde, ut ita dicam, in alio elemento, hoc est in insulis non parvo tempore moratus sum. Et in his omnibus degens calamitatibus dominico gregi qui meae parvitati commissus est, die noctuque scribere non desinebam, confirmans eos in Christi unitate. Horum enim anxia sollicitudo cor meum sedule instigabat, et me quiescere non sinebat; solummodo levius me habere putabam quando eos supernae potestati committebam.

Iam vero propter fortunatos pontifices, Phileum dico, Hesychium (1), atque Theodorum, qui digne a divina gratia sunt vocati, quam gravis me tribulatio quatiebat! Hi enim, ut ipsi scitis, ob Christi fidem cum reliquis confessoribus diversis macerabantur suppliciis. Et quia in tali agone non solum clericorum sed etiam laicorum ipsi erant signiferi et praeceptores, propterea valde verebar, ne longis deficerent cruciatibus, et eorum defectio, quod dictu grave est, plurimis negandi foret offendiculum; erant enim ultra sexcentos sexaginta, qui cum eis carceralibus artabantur ergastulis. Unde magno labore magnoque satagens sudore, non cessabam de praedictis locis scribere omnibus illis, exhortans eos ad martyrii palmam magisterio divini afflatus. Quando vero omnium eorum magnificam audivi perseverantiam et passionis gloriosum finem, cadens in terram adoravi Christi maiestatem, qui eos inter martyrii catervas annumerare dignatus est

Quid etiam vobis de Meletio lycopolitano (1) commemorem? qui quantas persecutiones, quantosque dolos mihi sit iaculatus, vos omnimodo scire nullatenus ambigo. Proh nefas! scindere sacrosanctam ecclesiam non metuit, quam Dei filius pretioso sanguine redemit, eamque ut de diaboli tyrannide liberaret, animam ponere non titubavit. Hanc, ut dicere coepi, nequissimus Meletius scindens, etiam sanctos episcopos, qui ante paululum per martyrium caelos penetrarunt, in carceris custodia expugnare atque affligere non de-

(1) Acta combefisiana et cod. vat. 622. addunt *Pachomiúm.*

(2) Optime noster; erat enim Meletius Lycopoleos in Thebaide episcopus. Pessime acta combefisiana *in Lycaonia*. Iam res Meletii late scribuntur a priscis historicis et a Baronio ad an 306. n. XLV. seqq.

sinebat. Cavete igitur ab eius insidiis. Ego enim, ut ipsi videtis, alligatus divina caritate proficiscor, voluntatem Dei omnibus anteponens. Scio nempe quia tribuni de mea nece trepidantes mussitant, sed nullum ex hoc eis sermonem inferam, neque enim animam meam pretiosiorem me ipso faciam. Quin immo paratus sum perficere cursum quem mihi dominus meus Iesus Christus polliceri dignatus est, et ministerium quod ab ipso accepi, ei fideliter assignare. Orate pro me, fratres; ulterius me in hac vita vobiscum vivere iam non videbitis. Quapropter testificor coram Deo et vestra fraternitate, quod omnibus vobis mundam servavi conscientiam. Non enim subterfugi annuntiare vobis quae mihi a Domino sunt iniuncta, et quae deinceps necessaria erunt pandere minime recusavi.

Quocirca adtendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus seriatim episcopos posuit. Te quidem Achillam primum, Alexandrum vero secundum. En vobis viva voce protestor, quoniam post meum transitum insurgent quidam de ecclesia loquentes perversa, rursusque divident eam, ut Meletius, trahentes populum post suam vesaniam. Ecce praedixi vobis. Sed deprecor vos, o viscera mea, vigilate: oportet enim vos multas subire tribulationes. Neque enim meliores sumus quam patres nostri. An ignoratis quanta a gentilibus perpessus est pater meus, qui me nutrivit, sanctissimus Theonas episcopus, cuius pontificalem cathedram regere suscepi? O utinam et mores! Quid etiam de magno Dionysio eiusdem praecessore referam? qui profugus de loco in locum multas calamitates ab insano sustinuit Sabellio? Nec vos praeteream (1), sanctissimi patres ac divinae legis antistites,

(1) Rursus recte noster vitat errorem biographi graeci com-

Heracli atque Demetri, quibus fabricator perversi dogmatis Origenes multifarias temptationes incussit; qui coniecit in ecclesiam detestabile schisma, quod usque hodie confundit eam. Sed gratia Dei, quae illos tunc protegebat, credo enim quod et vos proteget. Sed quid vos ultra demoror, karissimi fratres, prolixi sermonis afflatu? Superest ut ultima apostoli oratione vos prosequar ita precantis: et nunc commendo vos Deo et verbo gratiae eius, qui potens est gubernare et vos et ovile suum. Haec ubi dicta dedit, positis genibus oravit cum eis. Expleta itaque oratione, osculantes manus eius ac pedes Achillas atque Alexander conversi in lacrimas singultu amarissimo quatiebantur, maxime quia audierant eum dicere quod ex tunc temporalem eius vitam amplius visuri non essent. Dehinc doctor dulcissimus veniens ad reliquos clericorum, qui ut praemissum est pro Arrio ingressi fuerant, locutus eis verba novissima atque consolatoria et quae necessaria erant, deinde fusis ad Deum precibus vale faciens illis, dimisit omnes in pace.

His ita peractis, longe lateque ubique vulgatum est, quod Arrius a catholica unitate absque deifico nutu non sit abscisus. Ille autem fallendi artifex et totius nequitiae seminator, in sui pectoris labyrintho vipereum virus occultare non desinebat, sperans se ab Achilla vel Alexandro reconciliari. Hic est ille Arrius haeresiarches, consubstantialis et individuae Trinitatis divisor. Hic est qui ore temerario dominum Salvatorem super omnes haereticos blasphemare non metuit, dominum inquam Salvatorem, qui humanos miseratus errores, mortiferae dampnationis interitu condolens pe-

befisiani, qui Heraclium ac Demetrium post Sabellium ac Dionysium fuisse diserte dicit.

rire saeculum, pro omnibus nobis carne pati dignatus est. Neque enim divinitas, quae utique impassibilis est, passionem incurrisse credenda est. Sed quia theologi patres huiusmodi blasphemias a catholicis auribus meliori stilo procul amovere curarunt, et nobis aliud imminet, redeamus ad propositum.

Sagacissimus igitur pontifex animadvertens cruentissimam tribunorum stropham, quod ob eius perpetrandam necem, omnem christianorum qui tunc aderant multitudinem gladio interimere vellent, noluit eos pariter secum subire mortis acerbitatem, sed fidelis servus imitans dominum Salvatorem, qui dixit et fecit, pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis, ex pietatis argumento vocavit unum seniorem ex his qui ibidem responsis eius inhaerebant, et dixit ei: vade ad tribunos qui me interficere quaerunt, et dicito eis: cesset omnis anxietas, ecce promptus sum ultroneum me illis ingerere. Hac etenim nocte veniant post tergum domus carceris huius, et in quo loco audierint signum in pariete ab intus factum, ibi effodientes excipiant me, perficiantque quod sibi est imperatum. Senior vero obtemperans iussionibus sanctissimi viri, neque enim tanto patri contradicere poterat, abiit ad tribunos et intimavit eis quod sibi fuerant iniunctum. Quod illi audientes valde gavisi sunt, et assumentes latomos circa noctis huius matutinum tempus venerunt sine militibus ad locum qui sibi fuerat ostensus. Vir autem Domini vigil in oratione et vigiliis totam noctem insomnem duxerat. At ubi eorum cognovit adventum, cunctis qui secum aderant sopore quiescentibus, lento gradu ingressus est in interiorem carceris partem, et iuxta condictam sponsionem sonum faciebat in pariete; quem illi forinsecus

audientes, facto foramine susceperunt Christi athletam non aerea lorica, sed virtute dominicae crucis undique munitum, paratumque implere divinum sermonem qui dicit, nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Mira res! Tam validus imbrium turbo collisionesque ventorum in eadem strepuere nocte, ut nemo eorum qui observabant carceris fores, posset audire effodiendi sonum. Constantissimus autem martyr urgebat homicidas illos: facite, inquiens, quod facturi estis, prius quam hoc sentiant qui me custodiebant.

At illi tollentes eum duxerunt in locum qui dicitur bucolia, ubi et sanctus Marcus martyrium pro Christo suscepit. Stupenda sanctorum virtus! Cum eum ducerent, et tantam illius constantiam circa funereos casus tantumque animi robur inspicerent, subito horridus pavor timidusque tremor eos invasit in tantum ut nullus ex eis in faciem eius intendere auderet. Rogabat praeterea martyr beatissimus ut sinerent eum ad sancti Marci evangelistae memoriam ire; cupiebat enim eius se patrociniis commendare. At illi prae pudoris confusione terram despectantes, facito inquiunt quod vis, tantum velocius. Accedens itaque complexus est sacratissimum evangelistae coemeterium, et veluti in carne viventi atque audienti loquens, hoc modo precabatur. Pater honestissime, tu evangelista unigeniti Salvatoris, tu testis passionum illius, te primum pontificem et firmamentum cathedrae eius liberator omnium Christus elegit, tibi fidei praeconium per totam Aegyptum et circum terminos eius insonare commisit. Tu, inquam, ministerium humanae salutis, quod tibi creditum fuerat, vigilanter explesti; huius nimirum

laboris mercedem martyrii palmam percipere meruisti. Unde non immerito dignus es evangelista simul et episcopus praedicari. Tui nempe successor fuit Anianus, et reliqui(1) per succiduam seriem usque ad beatissimum Theonam qui meae infantiae colaphos dare, et meam indolem nutrire dignatus est. Cui etiam ego peccator et indignus ultra meritum hereditario gradu successor effectus sum. Et quod potissimum est, ecce dominicae pietatis largitio me pretiosae crucis ac festivae anastasis martyrem fieri condonavit, tribuens meae devotioni suae passionis iocundum odorem, ut et ego hostiam mei cruoris libare illi dignus efficiar. Et quia istiusmodi libationis urguet articulus, ora pro me ut divina opitulante virtute stadium huius agonis corde robusto ac fide promptissima perficere merear. Commendo etiam tuae gloriosae paternitati christicolam gregem, qui mihi pastorali regimine commissus est; tibi, inquam, eum suppliciter commendo, qui omnium praecedentium ac subsequentium in hoc pontificali throno auctor atque tutor esse probaris, quique huius primatum habens, non hominis, sed Dei et hominis Iesu Christi, successor existis. Et haec dicens, haud longe a sacro tumulo remotis vestigiis manibusque in caelum extensis, voce magna precatus: unigenite, inquit, Verbum aeterni patris Iesu Christe, exaudi me tuam interpellantem clementiam; pacifica, quaeso, tempestatem ecclesiae tuae, effusione sanguinis mei servi tui conclude persecutionem populi tui. Tunc quaedam virgo Deo dicata, quae asceteriolum huius evangelistae coemeterio conterminum habebat, pernoctans in oratione audivit vocem de caelo dicentem: Petrus initium

(1) Bene noster per hanc reticentiam vitat nominum perturbationem quae occurrit in actis combefisianis et in cod. vat. 622.

apostolorum, Petrus finis martyrum episcoporum Alexandriae.

Completa oratione deosculans tumbam beati evangelistae et reliquorum pontificum qui inibi tumulati erant, exivit ad tribunos. At illi videntes faciem eius tamquam faciem angeli, terrore perculsi verebantur ei aliquid de instanti agone loqui. Verumtamen quia Deus non deserit sperantes in se, noluit martyrem suum in articulo tanti discriminis absque solatio relinquere. Ecce quidam senex et quaedam virgo vetula venientes ex oppidis properabant in civitatem, quorum unus quatuor venalicias deferebat pelles, altera quoque geminas sindones. Cernens eos beatus antistes, cognovit erga se divinam dispensationem. Ilico percontatus est dicens, christiani estis? qui dixerunt, etiam. Et ait, quo pergitis? Et illi, ad nundinas inquiunt urbis ut venundemus haec quae deferimus. Clementissimus autem pater subiunxit: filioli mei fideles, Deus vos destinavit, perseverate mecum. Qui protinus eum agnoscentes, dixerunt: ut iussisti, Domine. Et conversus ad tribunos, eia agite inquit quod acturi estis complentes regiam iussionem, quoniam dies iam illucescere coepit. Ipsi autem ob nefaria principis decreta quasi vim patientes, tulerunt eum e regione sanctuarii evangelistae in vallem iuxta sepulchra. Et sanctus expandite, inquit, o senes, pelles quas advectatis, simulque tu vetula sindones. Quibus expansis, robustissimus martyr desuper ascendens, palmas utrasque sursum extendit, ac proinde poplites humi fixus, animum quoque caelo intentus, gratiarum actiones omnipotenti agonothetae persolvit, muniensque se crucis signaculo dixit, amen. Dein omophorium relaxans a collo, cervicem tetendit; quod vobis, inquiens, iussum est, maturius deliberate.

Obriguerunt interea tribunorum manus, atque invicem se aspectantes ad hoc facinus provocabant; sed omnes formidine capti stupebant. Tandem ex consensu placuit, ut de communi aere interfectionis praemium apponeretur, et siquis istiusmodi scelus perpetrare ausus esset, ipse homicidii lucraretur questum. Haud mora; unusquisque eorum quinque protulit solidos. Verum, ut gentilis ait poëta, quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? unus ex eis ritu proditoris Iudae, pecuniae cupiditate audax effectus, exerto gladio Christi pontificem capite obtruncavit sub die scilicet ·VII· kalendarum decembrium (1), cum haberet in pontificatu annos ·XII·, quorum tres ante persecutionem, reliquos vero novem in diversis persecutionum generibus exegit. Exinde sublato ab spiculatore sanguinis pretio, mali emptores vel potius cruenti homicidae cito citius recesserunt, metuebant enim populi multitudinem, quoniam uti praelatum est absque militari praesidio erant. Corpus autem beatissimi martyris, quemadmodum patres affirmabant qui illuc primi convenerant, permansit adstans tamquam orationi incumbens, donec plurimi concurrentes invenirent illud eodem modo consistens; nimirum quod vivens saepius egerat, caro etiam exanimis testabatur. Senem quoque atque anum illam repererunt observantes cum luctu et gemitu pretiosissimum ecclesiae monile. Redinantes (2) itaque triumphale funus, sacrumque caput cervici opponentes, cooperuerunt sindonibus; sacrum vero cruorem

(1) Cod. vat. 622. *nona et vicesima die athyr mensis.* Acta combef. *πέμπτην ἐπὶ εἰκάδα τοῦ νοεμβρίου μηνός.*

(2) Notemus vocabulum. Pag. quoque 686. v. 16. lege *christicolum* ut est in codice, non *christicolam*. Nam et prior terminatio habet aliud exemplum in v. cl. Furlanetti additamentis.

qui secus effluxerat, peniculo reverenter collegerunt (1).

Convolans interea ex populosa urbe promiscui sexus innumerabile vulgus, plorans et eiulans invicem se sciscitabatur ignorans qualiter hoc evenisset. Revera enim a minimo usque ad maximum acerrimus fletus omnes rigabat. Primarii namque civitatis cum cernerent multitudinis laudabilem importunitatem, qui sacras eius exuvias lipsanorum gratia scindere satagebant, involventes eum pellibus atque sindonibus illis tutius perstrinxerunt. Semper enim sanctissimus Dei minister vestes sacerdotales albi coloris erat amictus, hoc est tunicam et colobium nec non et omophorium. Post haec igitur orta est inter eos non parva contentio; quidam enim sacratissimos artus in ecclesiam quam ipse aedificaverat, ubi et nunc requiescit, advectare satagebant; alii autem ad sanctuarium evangelistae, ubi et martyrii metam complevit, deferre nitebantur: et dum neutra pars alteri cederent, religionis obsequium vertere coeperunt in pugnae litigium. Quorumdam interea senatorum animosa phalanx, ex his qui cursus (2) vocantur, videntes quae acciderant, nam secus mare erant, paraverunt scapham, subitoque arripientes sanctas reliquias imposuerunt naviculae, et ascendentes retro Pharum, per locum cui Leucado vocabulum est, venerunt in ecclesiam beatissimae Dei genitricis semperque virginis Mariae, quam ut dicere coeperamus ipse ob martyrum coemeteria ad occidentalem partem in quodam proastio (3) construxerat. Tunc

(1) En novum testimonium de veterum christianorum cura devota sanguinem martyrum conservandi, de qua re diu Boldettus in coemeteriis MM. lib. I. cap. 27. seqq.

(2) Intellige cursum publicum vehicularem vel navicularem.

(3) Graecismus pro suburbio.

populorum agmina ceu rapto sibi caelesti thesauro, alii per itinera, alii per devia quaeque properis cursibus insequuntur. Qui tandem venientes non iam ubi poneretur altercabantur, sed communi et non improbando consilio, prius eum decreverunt in sua cathedra ponere, et sic demum sepulturae tradere.

Et hoc, prudentissime lector, nolo tamquam otiosum deliramentum adtendas; quoniam si causam huiusce novitatis didiceris, mirans laudabilem populi zelum factumque probabis. Hic enim beatus antistes quando divini mysterii sacramenta celebrabat, non sicut ecclesiasticus mos habet, in pontificali throno, sed in eius subpedaneo scabello residebat; quod populi aspicientes, aegre accipiebant, et conquerentes acclamabant, oportet o pater in tua te sedere cathedra; et cum crebro id ipsum repeterent, surgens Domini minister eiusmodi querellas tranquilla voce sedabat, et iterum in eodem scabello residebat. Cunctis autem humilitatis gratia hoc agi videbatur. Quodam autem magnae festivitatis die cum sacra missarum sollempnia ageret, et tale quid facere vellet, non solum populus sed etiam clerus consona voce inclamantes dixerunt, sede in sede tua o episcope. Ille autem cuiusdam mysterii conscius, hoc audire dissimulavit; datoque reticendi indicio, neque enim ei quisquam obsistere pertinacius audebat, silere omnes fecit, et nihilominus eiusdem sedis scabello subsedit; celebratisque ex more missarum sollempniis, unusquisque fidelium ad propria repedavit.

Vir autem Domini clericis accersitis, intima serenitate tranquillus arguens eos temeritatis, cur inquit laicorum vocibus admixti me obiurgare non erubuistis? Attamen quia talis obiurgatio non de iactantiae coe-

noso torrente sed de purissimo fonte dilectionis manavit; aperiam vobis huius mysterii secretum. Plerumque enim cum throno illi approximare volo, video quandam in eo sedere virtutem (1), fulgore luminis admodum radiantem. Mox ergo inter gaudium et pavorem suspensus, agnosco me tantae sessionis prorsus indignum; et nisi scandali seminarium populo inferre titubassem, haud dubium quin nec ipsi scabello assidere ausus fuissem. Inde est, karissimi filii, quod vobis in hoc pontificalem regulam excedere videor. Verumtamen multotiens quando eam vacantem aspicio, sicut ipsi testes adestis, more solito sedere in illa non abnuo. Quapropter huiusmodi scientes arcanum, et pro certo expertum habentes, quia si mihi fuerit indultum, sedebo super eam, non parvipendens ordinis dignitatem, omittite iam popularibus ulterius favere inclamationibus. Haec nimirum pater sanctissimus dum adhuc viveret ad sacrum clerum coactus exposuit.

Horum ergo Christi fideles pia devotione reminiscentes, tulerunt eius sacratissimum corpus, et episcopali solio super sedere fecerunt. Tanta denique laetitia tantaque exultatio caelitus populo collata est, ac si eum animatum ac viventem attenderent. Deinde odoriferis condientes aromatibus induerunt illum sericis indumentis; unusquisque enim quod anticipare ferendo poterat, hoc sibi maximum lucrum deputabat. Tum victricia signa palmas gerentes, flammantibus cereis, concrepantibus hymnis, flagrantibusque thymiamatibus, caelestis victoriae triumphum celebrantes, deposuerunt sanctas reliquias, et sepelierunt eas in coemeterio, quod dudum ab eo fuerat constructum, ubi ex tunc et usque in hodiernum diem miraculorum vir-

(1) Intellige vel ipsum Deum vel angelum.

tutes fieri non deficiunt. Pia etenim vota felici exauditione laetantur, infirmantium sanitates restaurantur, expulsiones immundorum spirituum, martyris meritum testificantur. Haec munera, domine Iesu, tua sunt, cui consuetudinis est martyres tuos post mortis exitium sic magnificare felicius; qui cum Patre et consubstantiali sancto Spiritu vivis et regnas per infinita saecula saeculorum. Amen. (1)

Post haec qualiter doli artifex lupus, hoc est Arrius, ovina pelle contectus, dominicum ovile dilaniare intraverit, vel quo pacto sacerdotii dignitatem usurpare valuerit, brevi relatu insinuare satagemus. Et hoc non ad eorum suggillationem qui lolium apostaticae contagionis caelesti ventilabro ab ecclesia proiectum ad aream dominicae messis revocare sunt ausi; hi enim sanctitate procul dubio insignes habentur, sed tamen tanto viro credere parvipendentes, divinae iussionis interdicta transgressi sunt. Quid ergo? reprehendimus eos? minime. Quamdiu enim nos hoc corruptibile aggravat corpus et deprimit terrena inhabitatio sensum nostrae infirmitatis, multi cogitantes facilius falluntur, putantes iustum esse quod est iniquum, castum quod est incestum. Gabaonitae caelesti comminatione penitus delendi, cum aliud haberent in voto, et aliud in voce habituque praetenderent, Iesum repromissionis terrae iustissimum divisorem celerius fallere potuerunt. David quoque prophetali flamine plenus cum verba mentientis pueri (2) audisset, licet investigabili iustoque Dei iudicio, tamen longe aliud egit quam sese res ha-

(1) Quae sequuntur de Arrio infeliciter ad presbyteratum assumpto a successore Petri Achilla, absunt omnino ab actis combefisianis, et a cod. vat. 622.

(2) Puto vel Absalomum vel Sibam. II. Reg. XIV. 33. XVI. 3.

buit. Quid etiam apostolis sublimius, qui se a nostra imbecillitate sequestrare nutaverunt? Nam unus eorum describit: in multis offendimus omnes. Alter quoque: si dixerimus, inquit, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est. Sed cum horum nos paenitet, tanto facilius veniam promeremur, quando non voluntate sed ignorantia vel fragilitate peccavimus. Et certe huiusmodi offensa non de praevaricationis affectu, sed de compassionis indulgentia processit. Ceterum super his apologeticum describere, aliis relinquimus (1); nos autem quod instat agamus. Postquam igitur magnificus propugnator Petrus, nomine suo dignus, per martyrii triumphum . . .

Reliqua desiderantur.

(1) Pulchra sane defensio; ex qua etiam coniicio, graecum Petri biographum prope abfuisse ab eiusdem temporibus, quandoquidem ipsius successori, quasi adhuc recentis memoriae, tam studiose patrocinatur.

DE ALIQUOT SCRIPTIS THEOLOGICIS
QUAE NUNC PROFERUNTUR
EX ARABICIS ET SYRIACIS
BIBLIOTHECAE VATICANAE CODICIBUS.

EDITORIS MONITUM.

Quantus fructus ex syriacis bibliothecae vaticanae codicibus percipi possit, Iosephus Assemanus demonstravit editis quatuor descriptionum atque excerptorum pretiosis voluminibus, quae titulum bibliothecae orientalis prae se ferunt. Arabicos autem eiusdem bibliothecae codices ferme octingentos ad publicam notitiam nos ipsi attulimus, impresso typis illorum syllabo (Script. vet. T. IV.) docto atque copioso quem idem Assemanus in dissolutis schedis reliquerat. Nunc demum in huius angulo libri placet nobis brevem aliquem ineditorum excerptorum numerum ponere, ex uno alterove arabicae ac syriacae linguae codice, auctorum partim catholicorum partim etiam heterodoxorum, qui de verendo arcanoque dominicae incarnationis mysterio scripserunt. Exiguum sane vel potius minimum spicum immensae intactaeque messis, de qua olim in praedicti voluminis praefatione verba feci. Utinam vero exoriatur aliquis doctus, qui susceptum ab Assemano consilium prosequens, de his Arabum codicibus talem bibliothecam congerat, qualem ipse Assemanus de syriacis construxit! Nunc eius rei specimen demus.

Est quidam apud orientales Iacobitas liber celeber ms. qui inscribitur fides patrum , *in quo auctorum plerumque graecorum in arabicam linguam translatorum , tam rectam fidem quam distortam sequentium , testimonia congesta sunt , quae Monophysitarum dogmati favere creduntur. Igitur catholici etiam patres ingratiis saepe extra suam sententiam trahuntur , vel ita certe a libri auctore volunt intelligi. Et quidem eiusdem instituti graecum quoque opus olim reperi , (cod. vat. gr.* 1431.) *ex eoque Gregorii thaumaturgi , Iulii papae , aliorumque patrum scripta in Script. vet. T. VII. et VIII. repraesentavi. Nunc autem ex codice arabico* 101. *unum proferam Thaumaturgi eiusdem fragmentum , et mox aliorum patrum alia , interpretibus vv. cl. Matthaeo Sciahano , et Franc. Mehasebo maronitis ; in quo Thaumaturgi fragmento siqua sunt obscura vel ambigua , ipse apprime codicis auctor arabs in causa credendus est. Deinde et illud cogitare proderit , quod nempe sanctus Basilius in epistola ·ccx· ad Neocaesarienses loquitur de quadam expositione fidei et colloquio Thaumaturgi cum Aeliano de Trinitate , ubi multae locutiones erant partim a librariis vitiatae , partim vero tales ut inde haeretici semet valde corroborarent , perperam illas interpretantes , atque ad sui dogmatis pravitatem trahentes ; quum tamen sanctus pater ratione simplici et suo tempori idonea usus fuisset. Profecto hic est perpetuus Monophysitarum mos in laudandis pro se patrum orthodoxorum auctoritatibus , ut cum hi de unico Christo , unicoque individuo , hypostasive contra Nestorium vel eius ὁμόφρονας loquuntur , ilico id praedicti haeretici de una Christi natura velint intelligi. In cunctis istorum libris nihil hoc errore vel fraude sollemnius est.*

I.

Gregorius thaumaturgus episcopus Neocaesareae Ponti (1), proximus apostolis, in suo de Trinitate sermone haec ait.

Ego in omnibus tria essentialia video, substantiam, genus, nomen. Dicimus hominem, servum, curatorem; hominem propter substantiam, servum propter genus seu conditionem, curatorem propter denominationem. Dicimus etiam Patrem, Filium, et Spiritum sanctum; neque tamen haec sunt nomina quae ipsis postea supervenerint, sed sunt subsistentiae. Denominatio autem hominis non est reapse denominatio sed substantia communis hominum, et propria est omnium hominum denominatio; nomina vero sunt Adam, Abraham, Isaac, Iacob; haec, inquam, nomina sunt. Sed divinae personae sunt quidem nomina; nomina tamen sunt personae; personae demum significant id quod est et subsistit, quae est essentia Dei. Nomen quoque naturae significat subsistentiam veluti si dicamus hominem. Cunctae (*personae*) una natura sunt, una essentia, una voluntas, appellanturque Trinitas sancta, quae sunt nomina subsistentia, una natura in tribus personis, ac genus unum. Filii vero persona unita est, nempe unum ex duobus, id est divinitate simul et humanitate, quae duae unum constituunt. Neque tamen hinc divinitas ullum accipit incrementum, sed Trinitas manet, prout erat. Ne personis quidem, seu nominibus, novum aliquid accidit, sed eae aeternae sunt, et sine tempore. Nemo tamen ipsas ante cognoscere valuit quam Filius caro factus eas manifestavit dicens:

(1) Codex arabicus mendose *Caesareae Cappadociae*.

Pater, manifestavi nomen tuum hominibus; clarifica me tu quoque, ut cognoscant me Filium tuum. In monte autem Pater clamavit dicens: hic est Filius meus dilectus. Idemque super Iordanem Spiritum sanctum suum misit. Atque ita nobis demonstratum fuit, Trinitatem in pari honore esse sempiternam. Porro Filii ex Patre generatio incomprehensibilis est atque ineffabilis; et quia spiritalis est, scrutinio fit impervia; res enim spiritalis neque intelligi potest a re corporali neque vestigari: longe enim id abest ab humana natura. Nos quidem homines generationem nostram cognoscimus, sicut aliarum quoque rerum; res tamen spiritalis supra humanam conditionem est, neque ullo modo ab hominum mentibus potest intelligi. Spiritalis substantia perire nequit neque dissolvi; nostra autem, utpote facilis intellectu, perit atque dissolvitur. Quî enim fieri potest, ut homo qui sex lateribus circumcluditur, oriente, occidente, borea, austro, abysso, et caelo, rem intelligat quae supra caelos est, infra abyssos, ultra boream et austrum protenditur, quaeque omni loco adest, et omnem complet vacuitatem? Quod si nos spiritalem substantiam scrutari valeremus, eius utique excellentia deperiret. Consideremus quae in corpore nostro fiunt, ac porro videamus utrum nobis cognoscere liceat quomodo ex corde gignantur cogitationes, verba de lingua, et similia. Iam si haec, quae in nobis fiunt, minime agnoscimus, quî fieri potest ut increati creatoris mysterium, quod omnem mentem superat, intelligamus? Certe si homini pervium esset mysterium hoc, nequaquam divus affirmasset Iohannes: Deum nemo vidit umquam. Quem igitur nemo umquam vidit, is cuinam similis reputandus est, ut inde generationem eius cognoscamus? Et nos quidem sine

ambiguitate cognoscimus animam nostram in nobis habitare corpori unitam; sed tamen quis animam suam umquam vidit? quis eius cum corpore coniunctionem dispicere potuit? Id unum nempe cognoscimus, animam intra nos esse corpori copulatam. Sic ergo arguimus et credimus Verbum a Patre esse generatum, quin rei tamen rationem exploratam habeamus vel sciamus. Ipsum est ante omnem creaturam, sempiternum de sempiterno, ceu fontem a fonte, et lumen de lumine. Equidem vocabulum verbum ad illa tria pertinet verborum genera quae in scripturis nominantur, neque substantialia sunt, nempe (τὸ κατ' ἔννοιαν,) προφορικὸν, atque ἀρθρικόν. (τὸ κατ' ἔννοιαν) certe non est substantiale. Προφορικὸν autem est illa vox quam a Deo audiunt prophetae, seu propheticus ipse sermo; ac ne hic quidem est substantialis. Denique ἀρθρικὸν, est sermo humanus in aëre efformatus, verbis constans, qui pariter haud est substantialis (1). Verumtamen Dei Verbum substantiale est, excelsa validaque natura praeditum, et cum ipso aeternum est, atque ab eodem inseparabile, neque periturum, sed sempiterna coniunctione mansurum. Verbum hoc caelum creavit et terram, et in ipso facta sunt omnia. Est hoc brachium virtusque Dei, a Patre propter indivisibilem naturam numquam separandum, et cum ipso Patre carens principio. Hoc nostram de Maria virgine sumpsit substantiam; et quatenus quidem spiritale est, Patri est indivisibiliter aequale; quatenus vero corporeum, nobis pariter aequale est inseparabiliter. Rursusque quatenus spiritale est, aequiperat sanctum Spiritum inseparabiliter et sine termino. Neque duae erant, sed unica Trinitatis sanctae

(1) De his legesis graecos patres apud Petavium de Trin. lib. VI.

natura ante Filii Verbi incarnationem; atque unica mansit natura Trinitatis etiam post Filii incarnationem. Siquis vero accessisse incrementum Trinitati credit propter assumptam a Verbo humanitatem, is a nobis alienus est, et ab ecclesiae catholicae et apostolicae ministerio. Haec est fides integra, sancta, apostolica Dei sancti. Laus Trinitati sanctae in aeternum per saeculorum saecula! Amen.

II.

Alexander Petro martyri successit in sede alexandrina, splendidamque in nicaeno concilio gessit personam. Huius fragmentum ex libro de divinitate recitatum fuit in concilio ephesino, Labb. T. III. p. 507; id tamen a sequentibus differt, quae nobis codex arabicus obtulit. Item haec nostra differunt ab iis Alexandri epistolis seu fragmentis, quae Cavaeus commemorat.

Ex homilia Alexandri archiepiscopi alexandrini.

Quaenam, oro, necessitas Verbum Dei filium coëgit in terram descendere, carnem de virgine sumere, panniculis involvi, reclinari in praesepe, lac adulescentulae sugere, baptizari in Iordane, iniuriam a Pilato pati, in cruce suspendi, sepulchro claudi, tertia demum die resurgere? Nonne haec omnia egit, ut nos ab interitu revocaret?

Item in eodem vel alio sermone.

O novum mysterium atque ineffabile! iudicatur iudex, ligatur qui peccatorum vincula solvit, qui mundum tenet tenetur, potatur felle qui vitam hominibus

tribuit, vivificans extinctus est, qui mortuos suscitat traditus sepulchro est. Miratae sunt caelestes virtutes, angeli obstupuerunt, timor elementa corripuit, creatura omnis attonita dixit: iudicatur iudex, et tacet? invisibilis cernitur, et id perfert? incomprehensibilis tenetur manibus, neque indignatur? impassibilis patitur, neque ulciscitur? immortalis moritur, idque tolerat? caelestis ponitur in sepulchro, idque fert aequo animo? Ob haec omnia creatura obstupuit.

III.

Silvestrum papam Leontius in opere de sectis act. III. cap. 4. collocat inter ecclesiae patres atque doctores; idemque in opere contra Monophysitas a me edito in Script. vet. T. VII. p. 134. recitat Silvestri particulam ἐκ τῶν πρὸς Ἰουδαίους. Rursus ego op. praedict. T. VIII. part. 2. p. 26. Silvestri eiusdem mediocre fragmentum protuli, cuius titulus (in editione mea nescio quomodo praetermissus) in codice vat. erat ἐκ τῆς πρὸς Ἰουδαίους ἀντιλογίας. Utique in Silvestri actis a Surio latine editis, quae non sine varietate in graecis quoque leguntur codicibus, disputatio quaedam Pontificis cum Iudaeis superest. Et quidem capitulo 30, de duarum naturarum in Christo coniunctione doctrina sana traditur, quam tamen monophysitae lectores ad suam sententiam vi trahebant. Igitur et arabs noster ex illa altercatione cap. 32. frustum sibi decerpsit, quo suum dogma confirmari frustra putabat; quod ego quidem frustum libenter heic adscribam, tum quia variat a latino Surii, ubi etiam pro Noë disputat Zambres, tum quia veritati huius disputationis pondus adiiciunt testimonio suo Leontius sexti saeculi homo, et hic arabs monophysita. Cunctae autem a me citatae Silvestri partes in eandem fere sententiam conspirant.

Silvester unus ex primis Romae episcopis in alteratione cum Iudaeis de servatore nostro Iesu Christo, ait.

Siquis in meridie arborem, sole splendente, caedere vellet, nonne tum securis arborem feriret, sole omnino circumvestitam? Sane, inquit, Noë. Tum Silvester addidit: num fieri potest ut sol feriatur aut caedatur, qui ceteroqui securim et arborem prorsus circumambit? Sic igitur in Christo, corpus quidem est arbor, securis passio, sol est divinitas. Passus est itaque Christus, quin divinitas deminutionem ullam propter passionem perpessa sit.

IV.

De Felicis I. PP. deperditis scriptis legenda sunt quae Constantius erudite disputat ad epp. PP. p. 293-298, *quibus ego hoc unum addo quod videlicet etiam Eutyches epp. S. Leonis XXI, pro se laudat, inter alias, Felicis quoque pontificis auctoritatem. Et quidem Felicis illud fragmentum quod Constantius p.* 298. *recitat, legebatur a me in cod. vat. gr.* 1431. *inter* χρήσεις *Iacobitarum. Sive ergo Felicis scripta ab Apollinaristis ficta fuerunt, ut putat Constantius, utque de illis certe Iulii demonstratum est (Phot. cod.* 229. *p.* 830-831.) *sive ea tantummodo a Iacobitis in suam sententiam perverse pertrahebantur, codex quidem arabicus novum nobis sub Felicis nomine fragmentum exhibet, in quo unica incarnati Verbi natura dicitur, quam locutionem in Cyrilli quoque et Athanasii, Gregorii thaumaturgi, ac Iulii papae, partim veris partim falsis omnino scriptis, deprehendimus, ut late Petavius disputat de incarn. lib. IV. cap.* 4. 6. 7. *qui hanc locutionem recte intellectam nihil officere sano dogmati evincit. Reapse tamen post chalcedonensis synodi definitionem atque praeceptum, unam iam dicere in*

Christo naturam, quolibet subiecto sensu, non licet; ne forte orientales aliqui, traditionum suarum maiorumve patroni, adhuc inter catholicos versari hanc locutionem velint.

Felix ex primis Romae episcopis in suo de incarnatione ac fide tractatu sic ait.

Credimus in Iesum Christum nostrum, et confitemur unicam eius personam, unicam individuum, unicam naturam Verbi incarnati, eiusque sine semine conceptionem. Is utique est Deus Verbum. Dei quippe est nativitas, Dei passio, Dei crux, et ferale sindonis involucrum, ac resurrectio (1). Quamobrem is dum penderet in cruce, mortuos suscitabat, qui ante aliquot saecula morte quieverant. Ipse solus unicusque est, idem in caelis idemque in terris, invisibilis ac visibilis. Ipse est Dei filius ante saecula, qui deinde in Maria habitavit saeculis completis. Ipse est unicum individuum, una persona. Siquis autem ita non credit et confitetur, eum nos excommunicamus.

V.

Felicis fragmento subnectimus Innocentii I. latiorem particulam ex eius inedita epistola ad Severianum Gabalorum episcopum. Equidem in codice arabico non Gabala, *sed* Haiala *scribitur, quae lectio vim quandam accipit ex eo quod* Aila *episcopalis est urbs Palaestinae apud Lequinium Or. ch. T. III. p. 758; sed tamen in paucissimis quos Lequinius novit eius urbis episcopis, Severianus non censetur.*

(1) Haec catholice dicta, nemo non videt, quia non divinitas pati dicitur; sed Christus, qui Deus est et homo, in humanitate sua patiebatur. Monophysitae tamen cum Patripassianis libenter hinc erroris sui ansam sumebant.

Statim igitur de Severiano Gabalorum, urbis item syrae, episcopo cogitavi, qui contemporaneus fuit Innocentio; quodque magis interest in notitia epistolarum Innocentii deperditarum apud Constantium p. 921. cognoscimus, inter Severianum et Innocentium epistolas missitatas fuisse. Praeterea paulo infra in codice arabico fragmentum item Severiani legitur, quo loco non Haiala *sed* Gabala *sedes eius episcopalis dicitur. Mendum igitur arabici codicis ex litterulae similitudine coortum est. Hoc ergo epistolare Innocentii fragmentum ab arabe homine nobis conservatum gratanter accipiamus.*

Ex epistola quam ad Severianum Gabalorum episcopum scripsit Innocentius unus ex primis Romae episcopis.

Cum divinum e caelis Verbum advenit, et in virginis sanctae Mariae visceribus, de qua carnem sumpsit, habitavit, nequaquam corpus suum de caelo secum detulit, neque suam in terris divinitatem adeptus est; sed ipse Deus erat, ipse corpus suum in virginis utero efformavit; neque ullum in suo corpore conficiendo socium habuit, sed unus ipse confecit. Confitemur autem in omnibus, quae ab humanitate fiebant, comitem fuisse divinitatem, quae nullo umquam vel minimo temporis articulo ab humanitate seiuncta fuit. Confitemur etiam, eo ipso tempore quo noster e caelis Servator advenit, atque in virginis Mariae uterum descendit, divinitatem cum humanitate coniunxisse, quae numquam ulla in re vel actione divisae fuerunt, quandoquidem indivisibiles erant. Ac veluti eius divinitas fine caret, ita et eiusdem humanitas post resurrectionem in aeternum manet. Lac de femina suxit, nihilominus divinitas atque humanitas unum (*Christum*) constituebant. Nec quisquam putet, quo tempore di-

vinum in terris Verbum ad suscipiendum abs Iohanne baptismum accessit, tunc initium divinitatis eius fuisse, cum videlicet vocem patris e caelo exeuntem Iohannes audivit. Haud sane ita res se habet; verum ipso temporis articulo, quo in uterum virginis descendit, unum cum corpore et divinitate individuum effectum est; fuitque divinitas corporis consors; atque immutabili quadam ratione et inseparabili facta est unica unitas. Divinitas ab humanitate non est seiuncta. Christo in cruce existente, divinitas ab eius humanitate non secessit. In caelum ascendit cum corpore quod de virgine Maria sumpsit, atque ad optimi patris sui dexteram sedit. Haec fides nostra est. Qui autem non ita credunt, eos catholica ecclesia expellit, immo auctor eiusdem Deus excommunicat. Laus Deo in aeternum! Amen.

VI.

De Hierotheo, episcopo ut creditur antiquissimo, in operibus Dionysii areop. non semel appellato, nolo heic repetere quae Baronius scripsit in adn. ad martyrol. 4. octobr., et praecipue Halloixius in Script. orient. vitis. Sequentia vero fragmenta, prout sunt in cod. arabico, recito, nullum interponens de iis iudicium.

Hierothei apostolorum discipuli, et Athenarum episcopi.

Lex, prophetae, atque evangelistae nunciarunt Christum de virgine natum, et in cruce passum; ipsumque viderunt de mortuis resurgentem, caelos scandentem, a patre glorificatum, aeternumque regnantem. Is est perfecta Dei mens, ante luciferum genitus, re-

rum omnium hominisque ipsius cum patre creator, per quem omnia facta sunt in omnibus, patriarcharum ac legum latorum caput, sacerdotum pontifex, regum princeps, propheta inter prophetas, inter angelos angelus, homo cum hominibus, ab aeterno rege Deo patre generatus. Hic Noachum conservavit, Abrahamum deduxit, alligatus fuit cum Isaaco, peregrinatus est cum Iacobo, venditus cum Iosepho, dux fuit cum Moyse. Hic legem dedit populo, et Iosuae victoriam. Hic a Davide psalmis celebratus fuit, eiusque passio a prophetis praedicta. Hic de virgine carnem sumpsit, et apud Bethleem est natus. Hic panniculis fuit involutus, in praesepe reclinatus, et a pastoribus visus. Hic ab angelis collaudatus, et a magis adoratus. Haec illa fuit gloria, quae Iohanni apparuit cum Iesus in Iordane fluvio baptizatus est. Hic in deserto tentatus, dominus compertus est. Hic apostolos congregavit, regnumque annunciavit. Hic claudis gressum, leprosis sanitatem, lumen caecis, vitam mortuis donavit. Hic est quem populus in templo vidit, nec tamen in eum credidit. Hic a Iuda proditus, et a pontificibus captus. Hic clavis in corpore exceptis, ligno est adfixus. Hic mortem obiit, et funebri sindone fuit involutus, et postea revixit. Hic est dormientium resurrectio, pereuntium salus, lux degentium in tenebris, captivorum redemptor, dux errantium, vim patientium refugium, ecclesiae sponsus, pastor eorum qui liberati fuere, Cherubim rector, angelicarum turmarum antesignanus, Deus de Deo, Patris filius, Iesus Christus rex aeternus per saecula saeculorum (1). Amen.

(1) Haec omnia congessit Hierotheus ut unum esse Christum demonstraret, Deum simul et hominem.

*

Eiusdem Hierothei.

Sacri libri quemadmodum Christum hominem, sic eundem Deum nobis declarant; atque ut corpus habere docent, ita etiam spiritu praeditum tradunt, cumque Verbum Dei esse, immo ipsum Deum. Atque ut cum postremis temporibus de virgine procreatum, sic etiam omnis creaturae primogenitum eundem cognoscimus. A Deo venit; et qui esuriit, idem turbas saturavit; idem sitivit, idemque potum propinavit, Hebraeis primum de lapide qui Christus est, atque idem Christus spiritalem aquam fidelibus ministrat ad vitam aeternam. Idem laboravit, idemque laborantibus et gravatis levamen praebuit. Idem Davidis filius et dominus. Idem de stirpe Abrahami, simulque Abrahamo anterior. Qui contumelias et sputa in facie pertulit, idem Spiritum sanctum insufflavit in apostolos. Qui maerorem est passus, idem populo laetitiam contulit. Qui consistens palpabilisque fuit, idem de medio circumstantium exiit, quin ab his capi potuerit. Ianuas clausas penetravit, nullum ab his impedimentum expertus. Qui dormiit, idem evigilans increpuit mare, imperavitque ventis qui obtemperarunt. Et quomodo alios resuscitavit, sic ipse in semet vivit, liberatorque est. In terra contumeliis blasphemiisque fuit appetitus, idemque celsior est cunctis caelestibus, a quibus etiam gloria adficitur. Crucifixus secundum infirmitatem, virtute Dei vixit. Ad infimas telluris abyssos descendit, idemque ad caeli summitatem conscendit. Clausus sepulchro est, qui universum mundum sua praesentia replet. Mortuus est qui in aeternum vivit.

VII.

Archaei qui post discipulos Domini episcopus fuit leptitanae urbis in Africa.

Celebrandum est pascha die dominico; tali enim tempore catholicae ecclesiae gaudium completum fuit, et unusquisque aeternae vitae destinatus; etenim eo die resurrectionis mysterium, speique immutabilis, et regni hereditate capiendi confirmatum est. Hoc tempore Dominus de morte triumphavit inimica hominum, corpore suo suscitato, quod numquam deinceps moritur, sed immutabile cum spiritu perseverat; quod quidem corpus gloria circumdatum Patri obtulit, postquam ei caelorum fores patuerunt.

VIII.

Eupraxii Armeniorum episcopi.

Si his non credunt, apostolo dicenti credant: cum venit plenitudo temporis misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege. Ait autem Deus filium suum esse Deum, non aliquem ex alio ortum, non unum ex aliis, sed suum tantummodo, cuius est generatio ineffabilis. Hunc autem postea incarnatum in muliere, factumque unum cum carne quam sumpsit. Aitque factum ex muliere propter id quod sumpsit, et factum sub lege, eiusque divinam generationem legem praecessisse, simulque ipsum lege esse posteriorem.

Idem Eupraxius ait.

Erubescant nunc vanorum vocabulorum auctores.

Scriptum est enim, regnum Dei haud ab hominum consensu pendere sed a manifestatione ac virtute Spiritus. Caveat quisque ne deitatem a corpore separet. Unus est filius Dei.

IX.

Ut a codice arabico tantisper recedam, ad eundem mox reversurus, inseram heic homiliam Timothei ·III· alexandrini patriarchae haeretici, ex syriaco codice vaticano 103. *sumptam (vide Script. vet. T. V. part.* 2. *p.* 39.) *quae etsi idem argumentum Christi Dei et hominis, a Monophysitis saepe corruptum tractat, nihil tamen reprehensione dignum continere videtur. Timotheus hic alexandrinam anno Christi ·DXIX· adiit, anno autem ·DXXXV· mortem cum vita commutavit. Homiliae autem, cuius titulum infra recitabimus, mediocre fragmentum graece, id est in originario sermone, conservavit Cosmas indicopleusta lib. X. p.* 332. *inter patrum auctoritates ab ipso consarcinatas. Integram vero codex syrus praeditus exhibet; quare mihi placet partes quidem priorem et postremam apud Syros tantummodo extantes latine exhibere, mediam vero apud Cosmam superstitem, graece attexere; ita ut ex utraque lingua totus hic sermo lectoribus repraesentetur.*

Homilia Timothei archiepiscopi alexandrini, dicta in ambone ecclesiae Dionysii, cum lecta fuissent evangelica verba Iohannis " Iesus autem fatigatus est itinere, et sedit. „ Habita est die dominica, xxii. maii, indictione quarta.

Paulo aliter graecus titulus.

Τιμοθέου, ἐν τῇ Κυρίνου ἐκκλησίᾳ κυριακῆς οὔσης, παχὼν κβ΄. ἰνδ. ε΄. ἀναγνωσθέντος τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου· ὁ δὲ Ἰησοῦς κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας, ἐκαθέζετο.

Homilia.

Dominus et Deus noster Iesus est ipsa veritas fiducia ac lux. Nulla in hoc est difficultas, nihil abstrusum, nihil quaestioni obnoxium; sed se talem credi perfecte voluit, qualis reapse est. Τοιγαροῦν ἐπειδὴ θεός ἐστιν ἅμα καὶ ἄνθρωπος ὁ αὐτὸς, πιστοῦται διὰ τῶν ἔργων ἀμφότερα, καὶ λανθάνειν τοὺς ὁρῶντας οὐκ ἀνέχεται· ὅτι μὲν γὰρ φύσει θεός τε ἐστὶ, διὰ τῶν ἔργων καὶ διὰ τῶν σημείων ἐπιδείκνυται, λεπροὺς καθαιρῶν, φωτίζων τυφλοὺς, καὶ παρειμένους ῥωννὺς, καὶ τεθνηκόσι διδοὺς ζωήν· καὶ τὸ δὴ μέγιστον, ταῦτα γὰρ ἴσως καὶ προφῆται κατώρθωσαν, διαῤῥήδην παῤῥησιαζόμενος καὶ λέγων, ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν· ἀλλὰ τοῖς μὲν, ὡς ἔφην, πιστοῦται τὸ μεγαλοφυὲς τῆς θεότητος· ὅτι γε μὴν καὶ ἄνθρωπός ἐστιν ἀληθῶς ὁ αὐτὸς, οὐδὲ τοῦτο βούλεται λαθεῖν, προανακόπτων τοὺς τὴν φαντασίαν νοσοῦντας, δεικνὺς ἐναργῶς πάθεσιν ὑπουργῶν· καὶ ποίοις πάθεσιν; ὅσα δι' ἀσθένειαν οὐ δι' ἁμαρτίαν τῇ σαρκὶ προσῳκείωται, τὸ πινῆν λέγω, καὶ διψῆν, καὶ ὑπνοῦν, καὶ κοποῦσθαι· ταῦτα γὰρ φύσει καὶ οὐ προαιρέσει συμβαίνοντα, ἁμαρτίαν τοῖς ὑπομένουσιν οὐ προστρίβεται· τούτοις οὖν ὁ κύριος τοῖς ἀναμαρτήτοις πάθεσιν ἔφησε τὴν ἑαυτοῦ σάρκα πειθαρχεῖν, δεικνὺς σαφῶς ὡς φύσει καὶ ἀληθείᾳ καὶ οὐ δοκήσει, γέγονεν ἄνθρωπος. Idcirco ille esuriit, qui quinque panibus quinque hominum milia satiavit; sitivit is, qui de lapide potum Israheli in deserto elicuit; laboravit is, qui dixit, venite ad me omnes qui laboratis et gravia onera fertis, et ego reficiam vos. Item dixit, tristis est anima mea usque ad mortem, ille qui lacrimas ex omnium facie abstergit.

Illum denique dormisse etiam audimus, qui ait non dormire neque dormitare eum qui Israhelem custodit. Cum igitur audis, o sodes, has humiles passiones, cave ne ab excelsa divinitate unigeniti filii Dei discedas. Ait praeterea divus evangelista, Iesum ex Iudaea secessisse; id quod ob multa significanda patravit; primo ut suam divinitatem ostenderet; iterum ut demonstraret se tempore idoneo interfectores suos vitare, ne isti audacter Deum tentarent; denique ne ante statutum tempus ansam perfidis Iudaeis praeberet, ut suum peccatum perficerent: quare etiam ab his quaesitus ad necem, turbae immixtus delituit. Idcirco discipulos quoque monuit, ne in viam gentium abirent, nec in Samaritanorum urbem introirent. Ergo haec omnia tempestive optimeque acta sunt; nam et cum morabatur, proderat; et peregrinans, opem ferebat; et cum aliis suberat, tamen docebat; et cum in concione fidenter versabatur, orabat; atque in omnibus animarum salutem operabatur. Cui sit honor in aeternum! Amen.

X.

Timotheo successit in alexandrina cathedra, pessimis erroribus iam maculata, Theodosius qui novae sectae factus est auctor Theodosianorum seu Corrupticolarum. Et quidem haereticos Theodosianos memorat adhuc Alexandriae vigentes sequente saeculo, id est septimo, sanctus Sophronius mirac. XII. p. 170. Huius quoque Theodosii fragmenta aliquot recitat graece Cosmas lib. praed. p. 331, sed quae cum copiosis nostris arabici codicis 101, ad quem denuo revertimur, minime congruunt.

Theodosius in epistola, quam in sua ad alexandrinum patriarchatum promotione, scripsit ad Severum Antiochiae patriarcham.

Confiteor Verbum Deum consubstantiale esse patri suo Deo, idemque quominus cum eo existeret numquam cessasse, lumen de lumine, veritatem de veritate, viventem patris imaginem unde habet existentiam, et postremo sumpta carne factum esse hominem. Adfirmamus iis, qui sapienter amanterque grande audiunt mysterium, Verbum natura Deum, factum insuper esse hominem, quin tamen a sua vera divinitate cessaverit; paupertatem sponte suscepisse, et nihil omisisse quod pertinet ad humanitatem; unumque effectum cum carne (1), sine proprietatum suarum mutatione; carnem dico cum suis passionibus, et cum anima rationabili ac intelligente; similitudinem nostram in cunctis assumpsisse absque peccato. Aiunt enim scripturae quod iniquitatem non fecerit, neque dolus inventus fuerit in ore eius. Aequum enim erat ut quam habuit Adamus naturam, in ea quoque victoriam consequeretur, mortemque destrueret. Quamobrem Paulus ut nos doceret qua de causa Salvator noster factus sit homo, ait: " quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. " Si

(1) Non *Christum unum* heic intelligit cum orthodoxis Theodosius, sed *unam naturam* cum Monophysitis designat; quae est perpetua in horum scriptis labes, Aegyptiorum scilicet, Syrorum, atque Armeniorum, quotquot ei haeresi adhaerent.

nos, de quibus daemon triumphavit, certae cuiusdem naturae essemus, Deus autem Verbum aliam, praeter nostram, assumpsisset naturam, cum qua unum essentialiter factum esset, eamque impassibilem atque immortalem dum carnem sumebat, reddidisset, ceu quidam haeresiarchae (1) audacter dixerunt; tunc inanis fides nostra foret, neque magnum quid videretur quod de diabolo Dominus triumphavisset. Rursus nisi Christus victoriam de eo retulisset, neque in sua carne eas qualitates habuisset quae sine peccato consistere possunt, scilicet nisi eius caro par nostrae esset, tum quod ad essentiam attinet, tum etiam quod ad patiendum; denique nisi mortem carne sua destruxisset, numquam stimulus mortis destructus fuisset, id est peccatum, consequenterque ne mortis quidem imperium extinctum fuisset. Sed cum is reapse de Davidis semine originem traxerit; nostrique, fratrum quippe suorum, similitudinem in cunctis adsciverit, excepto peccato, ut sapiens ait Paulus, morte sua triumphavit, quam sponte in suam carnem recepit natura passibilem; quaeque vere passiones nostras exceperat, quotquot peccato carent; triumphavit, inquam, de eo qui mortis imperium tenet. Quamquam ut Deus vere est impassibilis. Quid ni igitur tali de victoria gloriemur, de servitio in libertatem vindicati? Quis non miretur mysterium scripturarum, quae expellunt Eutychem, atque alienum ab ecclesia cum fautoribus suis declarant?

(1) Eutychem intelligit.

Epistola eiusdem Theodosii patriarchae alexandrini scripta de exilio (1) ad christianum Alexandriae populum.

Christiani cum sitis, fratres, postulatis a me ut rectum fidei dogma vobis annunciem. Atqui ego probe compertum habeo, eum qui doctos docturus sit, haud oportere esse idiotam, ne tamquam pauper divitem hominem ad suum convivium invitet. Brevis autem intellectus mei modulus est, atque ut Moyses olim ait, loqui non audeo, et linguae tardioris sum. Interim tamen ut vestros animos, o Dei amatores, recreem, vobis significo me rectam et nullo modo distortam fidem retinere: aioque credere me in Deum patrum meorum, Deum omnipotentem, atque in eius praedilectum filium dominum nostrum Iesum Christum, nec non in Spiritum sanctum vivificantem, iuxta decreta trecentorum decem et octo patrum Nicaeae congregatorum, nec non illorum centum quinquaginta qui in urbe regia convenerunt, et ceterorum qui Ephesi conventum celebrarunt, impiumque Nestorium deposuerunt; nec non illorum qui Apollinarem similiter exauctoraverunt, unamque Dei Verbi naturam (2) nobis credendam proposuerunt. Confiteor insuper unum esse quem adoramus filium, Deum simul et hominem. Confiteor sanctam Mariam virginem matrem esse Dei Verbi, quod a Deo patre est, ipsamque illud in carne peperisse. Confiteor salutares a domino nostro Iesu Christo pas-

(1) Notae sunt ex ecclesiastica historia vices variae et fugae atque exilia Theodosii.

(2) En apertus monophysimus. Quin adeo ex fragmento quod Script. vet. T. VII. p. 73. dedimus, apparet Theodosium unicam quoque Christi operationem, ut Monophysitae solent, credidisse.

siones pro redemptione nostra perlatas, ipsumque in carne passum, in carne mortuum pro nobis, seque primogenitum mortuorum constituisse, qui vita est, vitaeque, utpote Deus, donator. Cunctis haeresiarchis anathema dico, iis praesertim qui malorum horum fuerunt auctores. (*Pergit Theodosius anathematizare nominatim Nestorium, Theodorum, Theodoretum Cyrilli adversarium, et Ibam; deinde Andream quemdam, quodque horribilius est, totum concilium chalcedonense* (*quod sanctum concilium praecipue invisum aegyptiis haereticis ait S. Sophronius mirac. xxxix. p. 487.*) *et Leonem papam, a quibus ait in duas divisum fuisse naturas individuum Emmanuelem. Mox prosequitur.*) Anathema item dico Eutycheti, iisque omnibus qui dominum nostrum Iesum Christum consubstantialem nobis carne negant, divinitate autem patri. Anathema demum illis dico, qui duodecim sancti patris nostri Cyrilli capitula, vel aliud quidvis ex eius voluminibus oppugnaverunt (1).

Haec breviter dilectioni vestrae exposuimus. Nunc magni prophetae Moysis verba consideremus, qui duas confici tubas de puro argento mandavit, ut eis sacerdos quum opus foret israheliticum populum ad testimonii tabernaculum convocaret. Sapiens Cyrillus interpretatur sic, nempe Dei sacerdotes non semel sed

(1) Nota est Monophysitarum aeterna stropha, qui sibi ducem ingratiis sanctum Cyrillum praeposuerunt. Id potissimum in suo Philalethe seu Cyrillo, de quo opere apud nos inedito locuti alibi sumus, fecit Severus; quem salse in poëmate deridet Pisida v. 112.

Ὦ πανταχοῦ Κύριλλον εἰς μέσον φέρων,
Φρονῶν δὲ μηδὲν τῶν ἐκείνου δογμάτων.
O qui Cyrillum semper buccis concrepas,
Nullique eiusdem dogmati consentis!

Sic fere Ianseniani sanctum Augustinum habere se ducem iactant.

iterum congregari debere. Sic enim verus Israhel ad concilium vocatur, mens videlicet quae Deum spectat; traditurque doctrina fidelis de divinitate, et de incarnatione quam nostri causa est operatus; ut homo interior creetur, novus inquam homo ad imaginem sui creatoris. Quamobrem nos quoque spiritalis illius tubae, divi nimirum Cyrilli, doctrinas sanctas amplexi sumus.

Consolamur vos omnes, fideles verique Israelitae, cunctique festinemus ad verum testimonii tabernaculum, quod nobis unicus Christus sanguine suo adquisivit. Denuo igitur dico credoque in Deum omnipotentem, atque in unum dominum Iesum Christum, ex Patre natum ante omnia saecula, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Hic propter nostram salutem factus est caro ex Maria virgine, Spiritu sancto operante, homoque nobis omnino similis evasit, excepto peccato; quia iniquitatem non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Hinc oportet ut Adami natura, in qua retulit victoriam, coronam triumphalem consequatur per Christi mortem. Cum enim is vivens crucifixus fuit, vita est factus, mortisque destructor. Hanc admirabilis unionis causam declaravit apostolus dicens: " quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et „ ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem de- „ strueret eum qui habebat mortis imperium, id est „ diabolum, et liberaret eos. Numquam enim angelos „ sed potius semen Abraham apprehendit. „ Profecto non erat Deo arduum eum destruere qui mortis tenet imperium; sed enim insuper liberare eum voluit, quem daemon devicerat; ideoque ex eo sumpsit, quod reapse sumpsit; passionesque etiam recepit, quatenus eum decebant, nec peccato reddebant obnoxium. Secus vero,

si Verbum ad nos venisset cum caelesti corpore, vel carnem sine passionibus innocuis suscepisset, ut volunt phantastici, ad gloriam minime perveniremus. Nunc quia ipse de semine Abrahae ortus est, seque similem fratribus suis effecit in omni re, praeter peccatum, ut hactenus diximus; cumque passiones in carne exceperit, mortemque etiam nostri gratia, qui alioquin quatenus Deus impassibilis immortalisque est, pulchram enimvero gloriam adquisivimus, atque ab amarae mortis minis expediti sumus.

Sic igitur fratres mei dilectissimi credite. (*Cumulat deinceps furiosus homo anathematismos suos contra orthodoxos, qui duas in Christo naturas confitentur. Deinde prosequitur contra phantasticos, et incorrupticolas, aliosque haereticos.*) Siquis dixerit Verbum ante resurrectionem suam, habuisse corpus sine passionibus iis quae carent peccato, ita ut phantasmati aut umbrae simile fuerit, anathema sit. Siquis dixerit vivificum Christi corpus in sepulchro fuisse corruptum, anathema sit; etenim scriptum est, animam eius in inferno non permansisse, neque corpus eius corruptionem vidisse. Siquis dixerit, in sacro corpore pretiosoque sanguine Christi, quae super altare extollimus dum ipsorum liturgiam perficimus (1), mortem eius ac passionem commemorantes, passionem aut mortem aut corruptionem intervenire, anathema sit.

Haec firma ac rata apud vos omni tempore sint. Aliam quoque sanctissimae Trinitatis personam confi-

(1) En novum testimonium palmare et perspicuum de corporis sanguinisque Christi praesentia in tremendo altaris mysterio. Et quidem vix apud orientales ecclesias vestigium ullum, aut ne vix quidem, contrarii erroris conspicitur. Confer etiam sequentem homiliam.

temur, vivificum nempe Spiritum qui a Patre procedit, aequaliterque cum Patre ac Filio semper glorificatur. Valete in Domino. Meum vobis, carissimi, in Domino amorem significo. Vos pro mea quoque infirmitate orate, ut clementissimus dominus Deus noster in recta fide nos servet ad extremum spiritum, quae nostra unica spes est. Patri, Filio ac Spiritui sancto laus sit nunc et semper per omnia saeculorum saecula! Amen.

Homilia dicta a Theodosio archiepiscopo alexandrino qua confitetur Trinitatis sanctae aequalitatem, contra suorum temporum perfidos. Dicta fuit haec homilia postquam in exilium pulsus fuerat.

Sonora illa prophetae Esaiae vox ait cap. VI. cum magnam Dei gloriam vidisset: vidi Dominum exercituum sedentem super solium excelsum atque sublime; Seraphim eum circumibant; sex alae erant uni, et sex alae alteri; duabus facies suas velabant, duabus item pedes suos; duabus denique volabant; et clamabant invicem alter alteri dicentes: sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum. Quibus vocibus tria nomina innuebant, Patrem scilicet, Filium, et Spiritum sanctum, tres personas, tres subsistentias. Dixerunt " Dominus exercituum „ ut nobis effatim demonstrarent unum esse Deum. Dixerunt unum simulque tres, quia Deus in tribus hypostasibus est seu personis, unus tamen quod adtinet ad naturam, sicuti una est Trinitas sancta. Harum personarum una est potestas, una gloria, una deitas, unum imperium. Pater antea non sic extitit ut postea Filium genuerit, aut Spiritum sanctum; sed ita aeternus est Pater, ut coaeterni sint ei

Filius ac Spiritus sanctus. Filius genitus est a Patre, Spiritus autem ab eodem diffusus. Una est Trinitas increata. Neque vero Filius creatus fuit, sed a Deo patre genitus; Spiritus denique ex hoc ipso diffusus. Aversemur itaque amaram illam vocem verbaque diabolica Arrii veritatis hostis, cuius nomen non est commemorandum. Cuncti enim caelestes ordines exhorruerunt, cum is duram illam protulit vocem, Filium nempe Dei esse creatum. Perfidiam aeque repudiemus hostium Spiritus sancti, qui bellum ei inferunt, dum sub alieno imperio constitutum affirmant; quo dicto hi perfidi adversarii imperfectionem in sanctam Trinitatem invehunt. Neque item maledicta Sabellii verba admittamus, qui unam in Trinitate sancta agnoscit personam.

Profecto haud ita nos docuerunt multis oculis praediti Seraphim, quos in illum ignem intendere non valebant, nempe in Dominum exercituum, cuius gloriâ caeli ac terra redundant. Iam qui aspicit terram et facit eam tremere Deus Verbum, qui est in sinu Patris, consubstantialis per omnia Patri, hic caelo descendit, et in sancta Maria virgine incarnatus est, homoque est factus non phantasmatis instar, sed secundum rei veritatem, propter humani generis salutem; sumpsitque sibi de ipsa substantia nostra corpus, commune nobiscum, excepto peccato, anima et mente praeditum, anima inquam rationali; unumque secum corpus effecit secundum personam, sine confusione aut commixtione, mutatione vel conversione. Non est mutata in corpus deitas, neque corpus transiit in deitatem, sed utraque natura in suis quaeque limitibus manet (1). Neque hae duae sunt divisae naturae; minime

(1) Si heic sisteret Theodosius, error eius videretur λογομαχία.

gentium; quod ait Nestorius, qui divisit indivisibilem, unicum scilicet Christum in duas naturas (1) post ineffabilem unitionem, duosque in Deo recipit pro unico filio Iesu Christo domino nostro, indivisibilem Deum dividens, et quaternitatem pro Trinitate constituens. Ait enim debere nos credere in Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, atque in Christum; divinam illam proculcans vocem quae in evangelio clamat: ego et Pater unum sumus; et qui videt me, iam vidit Patrem meum. Quod si forte hanc duplicitatem admittimus, prout impius Nestorius loquitur, utrum ex duobus adoraturi sumus? Deum ne an hominem? Si adorare nos dicimus natum de Virgine Christum, seu Emmanuelem, qui interpretatur nobiscum Deus, voce Patris reprehendemur clamantis super Iordane: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Haud quippe dixit hic est filius Mariae, sed dixit: is in quo mihi complacui, filius meus est dilectus, non secundum humanitatem sed secundum divinitatem; neque enim Mariae filius est secundum divinitatem (*si separatim spectetur*) sed secundum oeconomiam humanitatis, quam de deipara Maria sumpsit sine humano semine, ita ut fieret unus cum corpore secundum personam. Atque ita Deus Verbum salutiferam passionem in suo corpore excepit, quocum unus erat secundum personam.

Postea deflectit paulatim Theodosius ad doctrinam monophysiticam, invehiturque manifeste in S. Leonem rom. pontificem propter illam dogmaticam ad Flavianum constantinopolitanum epistolam, cuius aucto-

(1) Intellige duas separatas naturas, quae erat Nestorii sententia, putantis Christo homini supervenisse deitatem, veluti fere alicui prophetae, coniunctione quadam morali et gratiosa.

rem graeca ecclesia columnam fidei appellavit. Theodosius vero in duas non solum naturas sed et personas divisum ab eo Christum dicit falsissime et calumniosissime. Ait quippe inter cetera Leo : " unus idemque est , quod saepe dicendum est , vere Dei filius , et vere hominis filius. „ Et mox " unitas personae in utraque natura intelligenda est. „ Et denique " unum Dei filium et Verbum confitemur et carnem. „ Pergit deinde Theodosius ad quaestiones S. Dionysii alexandrini cum Paulo samosateno ; quo fit ut novum iam testimonium hinc lucremur veritatis eius epistolae dionysianae , de qua diu sermo est in praefatione novissimae editionis romanae operum praedicti patris , qui cum meliore dogmate ac fama Theodosio in alexandrina sede praeivit. Meminit etiam errorum Manichaeorum , Phantasiastarum , et Eutychianorum adversus Domini incarnationem. Etenim exploratum est Monophysitas ab Eutyche quoque dissensisse , cuius crassam haeresim Severus aliique recentiores valde temperarunt. Denique Iulianum quoque halicarnassensem reprehendit Theodosius qui Incorrupticolarum princeps erat. Iam multis interpositis , veritatem cum errore permiscens , sic ait : Christum in duabus naturis non dicimus post unitionem , sed cum patribus nostris sanctis dicimus Christum deitate et humanitate constare ; atque haec duo unum efficere secundum personam. Quare et affirmamus cum magno apostolo Petro Christum passum esse in carne pro nobis , mortuum in carne , quamquam spiritu viventem ; passum corpore , in quo erat divinitas. Nec dicimus quicquam passionum ad deitatem usque pervenisse ; id enimvero potius negamus ; sed deitatem cognovisse passiones dicimus , quae corpori inferebantur. Etenim si forte affirmare-

mus, passiones corporis deitati fuisse incognitas, phantasma cum Eutyche confingeremus etc.

Obiicit deinde sibi tamquam ab Arrio locum illum " ego sapientia, Deus creavit me in initio operum suorum. „ Quam locutionem non de Verbi deitate, sed de corpore a Verbo assumpto intelligendam esse contendit. Hoc, *inquit*, corpus deitati unitum, sapientia Dei est; corpus hoc, ecclesiae caput est, princeps et primogenitus mortuorum. Idcirco Christus dictus est Emmanuel, nempe Deus nobiscum, sive homo et Deus. Idcirco item hoc corpus, Verbo copulatum, appellatur initium operum Dei etc. *Multa praeterea, quae in hanc sententiam ex prophetis evangeliisque Theodosius dicit, inter quae etiam crimen patripassianum a se et a sua secta amovere nititur. Dicit enim manifeste, deitatem passionibus cunctis esse superiorem; Christum passum et mortuum uti hominem, impassibilem et immortalem esse uti Deum. Demum sic concludit de Christo unico loquens ex deitate atque humanitate composito, cum insigni testimonio de corpore et sanguine Domini in eucharistia praesentibus.* Si hoc, *inquit*, corpus quod sumimus, atque hic pretiosus sanguis, non sunt Dei Verbi, sed hominis tantum corpus et sanguis, tunc ipsi Iudaei nos increpabunt, qui vitam ipsorum coram propriis oculis suspensam viderunt, neque tamen ei crediderunt; increpantesque dicent: cur nos reprehenditis, quasi Deum crucifixerimus? Tunc et omnes gentes nos irridebunt, quia hominis corpore et sanguine vescimur, et quia spem nostram in homine collocamus etc. *En igitur ut orientales ecclesiae, quamquam haereticae, de corpore et sanguine Domini sub panis vinique specie latentibus non dubitabant!*

*

XII.

Pervenimus ad Severum antiochenum, Monophysitarum columen, cuius prae ceteris scripta in arabico codice adeo abundant, ut ea nonnisi partim excerpere nobis liceat.

Ex epistola synodica Severi patriarchae antiocheni ad Theodosium archiepiscopum alexandrinum, qua respondet eiusdem epistolae ad se missae.

Sicut Aaronis virga fronduit, et floruit, amygdalasque protulit, ita Emmanuel ortus est, nobisque hac ratione similis est effectus. Virga regnum eius portendit, quia hic Emmanuel sic genitus fuit, ut eius origo tempore et initio careat; generationem eius dico ex Deo patre, cum quo, simulque cum sancto Spiritu, semper extitit, et caelestium atque terrestrium imperium tenet. Idem nostri causa est incarnatus, homoque factus absque sui immutatione, atque in carne apparuit de stirpe Iesse ac David, quia videlicet ab his genus ducebat intemerata virgo Maria Dei mater. Idem factus est apostolus nostraeque salutis pontifex, atque hac ratione virga quoque fuit sacerdotalis, ut nos corrigeret, atque ut ad audiendam evangelii doctrinam vigilaremus, unde amygdalae christianis fidelibus extiterunt, qui sunt virtutum flores ac fructus. Iamvero homines qui hasce res scrutati sunt, aiunt amygdalinam virgam praecavendi vim tribuere: atque idcirco Deum per Hieremiam prophetam aenigmatice de falsis dixisse prophetis: quid tu vides, Hieremia? Et dixi: virgam ex arbore amygdalo. Dixitque ei Dominus, recte vidisti quia observabo dicta mea ut fa-

ciam illa. Atque ut illi qui virtutibus student, antea molestiam laboremque patiuntur, deinde luce ac voluptate fruuntur; ita amygdalae cortex extimus mordet, nucleus autem candore dulcique sapore praeditus est.

Hanc virgam, dilecte frater, nactus es, eaque in voluminibus tuis impressa splendescit, tibique prudentiam sacerdotio congruam contulit: neque enim quisquam sibi honorem sumit, nisi cui Deus ipse attribuit, uti Paulus ad Hebraeos scribit. Nonne hoc videlicet Isaias nuntiavit dicens: egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius efflorescet, et requiescet super eum Spiritus Dei, Spiritus sapientiae, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus auxilii et perennitatis, et replebitur Spiritu timoris Dei? Persona igitur permanens divini Verbi, quae ex ipsa Patris substantia est, arcana sapientia Unigeniti, per quem facta sunt omnia, cum plenam perfectamque gloriam ac fortitudinem, et quicquid divinae naturae proprium est haberet, absque ulla infra Patrem Spiritumque sanctum diminutione, demisit ipsa se, quin suam divinitatem immutaret; atque in essentia sua immobilis, assumpsit secundum oeconomiae rationem, uti traditum est, omne id quod humanae humilitatis est proprium, comes noster in omnibus effectus, praeter peccatum; verus scilicet homo; nobisque apparuit virga ex radice Iesse, nativitatem suam manifestans, absque humano semine commercioque coniugali, ex inlibata virgine Maria Dei matre, quae virginitatem omni tempore retinuit; quia virga naturaliter ex aliqua origine prodit; et quia aeternum Dei Verbum, Patris virtus, per se ipsum Virginem obumbravit, uti evangelia docent, dum descendente ineffabiliter Spiritu sancto atque in Virginem adveniente, corpus rationale atque animatum,

unicum quid evasit cum Verbo in personae subsistentia. Atque haec videlicet de qua loquor unio, divinitatis et humanitatis coniunctio est.

Qua porro ratione haec unio acciderit, nemo intellectu suo comprehendere potest. Neque item dicere licet corpus extitisse ante coniunctionem cum divinitate; sed nobis compertum est Emmanuelem unum esse effectum ex duobus, divinitate scilicet et humanitate; quarum utraque secundum naturam suam perfecta est. Hoc autem Emmanuelis nomen magnum est et inseparabile, firmumque mysterium fidei, quae nos docet quod Dei Verbum ante omnia saecula extiterit, quodque habeat inseparabiliter cunctas corporis proprietates, quodque fuerit conceptum, et editum post plenam a conceptu periodum. Atque haec verae fidei professio nobis declarat, divinam naturam prorsus non esse mutatam, sed in suo statu mansisse; item Dei matrem omni tempore virginem ante et post partum fuisse; ipsum vero *Iesum* utpote Deum, naturaliter atque essentialiter habere secum Spiritum sanctum; atque ipso temporis puncto, quo in matris suae sinu conceptus fuit, corpus non sine Spiritu sancto fuisse, ita ut unum quid cum Verbo fuerit, sicuti dictum est; sicque accidit ut in incarnatione corpus a Verbo divisum non fuerit.

Et quidem Spiritus sanctus illo etiam tempore apparuit, quo Iesus in Iordane ad baptismum accessit, non quod ipse enimvero ablutione indigeret, nec quod ei nobis hominibus opus esset, verum ut nobis demonstraret atque ordiretur secundam regenerationem. Spiritus vero sanctus alas suas super aquas tendebat ante haec etiam, quae propter nos sunt effecta sapienter atque ordinate, tamquam alterum reformationis nostrae

principium. Dicendum est ergo Iesum accepisse Spiritum suum essentialem illum, de quo loquitur Isaias dicens: Spiritus Domini super me, ideo unxit me. Quasi scilicet de eo proclamans, quod ille Spiritus, qui mihi est naturalis, super me venerit. Cur autem nunc Christus vocor, nisi quia hominem me feci? Hic est salus nostra, sanatio nostra, confirmatio nostra. Post haec autem dicit: ideo unxit me, misitque me ad annunciandum humilibus, ut mederer contritis corde, et indulgentiam captivis praedicarem, caecisque visum. Verumtamen sanctus Spiritus super eum descendit propter humanitatem secundum oeconomiae rationem; etenim ad divinitatem quod adtinet, Spiritus est ipsi connaturalis, ut Deus in Deo; dicente ipso, quod Pater in Filio sanctoque Spiritu totus est.

Iam hic descensionis actus haud equidem ex parte fuit, veluti prophetis singulis accidit; neque eadem ratione super Iesum Spiritus Domini venit; verum ut ait Isaias propheta, qui ut actus plenitudinem nobis ostenderet, septies inculcavit dicens: requievit super illum Spiritus Dei, Spiritus sapientiae, Spiritus intelligentiae, Spiritus consilii, Spiritus scientiae, Spiritus fortitudinis, Spiritus timoris Domini; etenim septenarius numerus apud Hebraeos perfectus habetur. Ille vero Iohannes, quo maiorem neminem mulieres procreaverunt, ait: ego nesciebam eum, sed qui misit me ad baptizandum aqua, ipse ait mihi, super quem videris Spiritum descendentem, et in eo manentem, ipse est qui baptizat in Spiritu qui super eum descendit. Qui Spiritus non est ab eo alienus, sed unus cum ipso quod ad essentiam est, cumque fuit ante omnia saecula.

Quam ob rem Deus credentes in eum baptizat Spi-

ritus sancti munere, prout suam divinitatem decet: cum hoc patravit miracula, qui sibi connaturalis est et consubstantialis. Neque ipse extranea aliqua et non propria virtute utitur, ut prophetis usuveniebat: neque loquitur, ut prophetae solebant cum miracula in nomine Domini edebant; verum utpote Deus, et regnator sublimisque Dominus ait leproso: volo, mundare; ac reapse sanitatis donum prius erat in eius voluntate quam in dicto. Rursus fluctibus maris imperavit ut quiescerent neque diutius tumerent, statimque quieverunt, veluti si nulla procella fuisset: iam enim a mundi initiis fines huic elemento constituerat et claustra, ipsi imperans ut usque ad certum terminum deveniret, quem nequaquam transgrederetur. Sic etiam cum navis, quam apostoli inscenderant, crebris fluctibus quateretur ventisque agitaretur, repente ipsis visus est super illa abysso perambulans, cuius elementi natura telluris instar sub eius pedibus effecta est, vi sua priore dimissa. Sic etiam non sine divina efficacia Lazaro dixit pannis obvoluto quartaque iam die defuncto: Lazare exi foras; reque vera mortuus ille de sepulcro exiliit.

Neque sic huiusmodi auctoritate utebatur in his miraculis, ut modo aliquo sui minime digno iuberet; immo vero divinae maiestatis apprime rationem habebat, ut tamquam legis latorem se gereret, nobisque evangelicas leges insinuaret. Atque ita nobis declarabat se una cum Patre suo sanctoque Spiritu priscis legem dedisse; nunc autem ceu disciplinae auctorem nos ab antiqua lege resolvere, mentemque nostram lumine illustrare, ut evangelii nobilitatem agnosceremus, cum diceret: audistis quia dictum est antiquis, non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego au-

tem dico vobis, quia omnis qui irascitur frustra fratri suo, reus erit iudicio. Insuper dico vobis, quia omnis qui mulierem viderit eamque concupiverit, iam ipsam moechatus est. Et ne iuretis omnino, et diligite inimicos vestros. Sic igitur quicquid dicit, veluti Deus dicit dominusque omnium creatarum rerum cum Patre et sancto Spiritu, et tamquam una de tribus personis, (in quibus unum obiectum, unamque divinitatem communem cunctis agnoscimus.) Deus Verbum incarnatus est homoque factus per oeconomiae humilitatem, quin tamen deitatis maiestatem dimitteret, vel suam filiationem immutaret, quam ante saecula possidet. Neque deitas in corporis naturam perversa est, neque rursus corpus ad deitatis substantiam transiit; siquidem fieri nequit, ut deitas in rem creatam vertatur. Numquam igitur natura divina in eo desiit, seque aeternum semper appellavit. Nam et illud impossibile est, quod nempe corpus mutabile, ad immutabilem naturam transeat. Iamvero sicuti res, quae duabus naturis constant, si forte inter se unirentur, una res fierent, quin neutra a semet ipsa discederet, quoniam antea duae erant; sic incarnatio Servatoris nostri nobis demonstrat, quod unaquaeque ex his substantiis, quarum unio facta fuit, Verbum divinum scilicet atque corpus quod de virgine Maria sumpsit, quodque nostrae substantiae est persimile, invicem unitae sunt in personae subsistentia. Etenim ex citato exemplo cognoscimus, hoc unum individuum ex duabus inter se unitis rebus conflari, unionis quadam ratione ineffabili.

Ex his inquam perspicue apparet, Verbi divini naturam nullam in incarnatione passam esse mutationem, quia personam unam unumque obiectum videmus. Atque in unica hac persona is miracula tamquam Deus

operatus est; idemque est homo sine ulla transformatione. Ipse Deus filius est, ipse Patris filius a principio existens, voluitque postea ob suae misericordiae excessum filius esse hominis de stirpe David et Abraham. Neque sane licet, post factam unitionem, duas naturas dividere, ut Nestorius scelestus loquitur, qui naturam divinam miraculorum effectricem fuisse adserit, humanam vero dolorum patientem; atque ita cum Iudaeis duas invicem naturas distrahit. Unus quippe est Emmanuel, ex duobus consistens, qui sine ulla commixtione ex his conflatur: quippe alterutra ex his naturis, altera non est. Neque post ineffabilem unionem dividi potest in duas naturas (1); verum hic unus indivisibilis et miracula patrat, et dolores sustinet, pro suo beneplacito, passiones inquam secundum oeconomiam absque peccato; nec in ipsa humanitate umquam peccavit, nec inventus est dolus in ore eius. Esuriit sponte cum pro nobis ieiunavit quadraginta diebus; permisitque ut daemon sibi accedens diceret: dic ut lapides isti panes fiant, aliaque adderet iniquitatis dolique plena, qui nempe dolus Adamum in pulverem reverti coëgit. Verumtamen tentator fugit, cum ad eum se accessisse cognovit qui omni corpori alimentum suppeditat.

Ex eiusdem Severi patriarchae antiocheni epistola synodica ad Iohannem (2) Alexandriae archiepiscopum.

Nos quidem haud novam fidem invehimus, sed ut diximus, traditam a sanctis patribus conservare semper

(1) Non dividitur, sed distinguitur et manet in duabus naturis.

(2) Intellige Iohannem secta theodosianum, de quo videsis Lequinium in patr. alex.

inclytam fidem edocti fuimus etc. *Eodem, ut in praecedentibus, loquitur Severus modo; diserte tamen a chalcedonensi concilio se dissidere homo haereticus et pertinacissimus dicit. Nos vero fragmentum hoc praetermittimus in quo nihil novi reperimus. Concludit autem*: idcirco sanctam Virginem, veram Dei matrem dicimus, quia Verbum in ipsa conceptum incarnatumque atque ex ipsa natum, homo est, et unum quid ex duobus, deitate et humanitate, iuxta veritatis verba; confitemurque hunc esse Emmanuelem, unum Deum, unum dominum, Verbum Deum, factum hominem.

Severi eiusdem oratio Imperatori dicta.

Deus prophetis et patriarchis apparuit, prout cuiusque conditio vel occasio tulit, neque tamen corpore vestitus erat. Filiis quoque Israël per dies quadraginta incorporeus in deserto conspiciendum se dedit per signa atque prodigia. Sed tamen sub his variis apparendi formis mundi salutem non effecit, neque ad eum populi conversi sunt, sed sine Dei cognitione permanserunt. Et quidem is potissimum populus, cui apparuerat, legemque et mandata dederat, et quem prodigiis miraculisque concusserat, nequaquam firmiter ei adhaesit, neque foedus cum eo ictum servavit, sed Phagor stellasque caeli adoravit, Deum tradidit oblivioni, eiusque omnia miracula in Erythraeo eremoque edita, columnam in nocte lucidam, nubium per diem umbram, aquas contra vim naturae de duro lapide elicitas, manna de caelo pluens, et reliqua omnia prodigia quae ipsorum gratia perfecit. Nihil horum tamen veram orbi felicitatem attulit. Sed cum denique summae Dei bonitati placuit mundum ad se convertere,

suique illi notitiam praebere, caelo demisit incorporeum Filium suum unigenitum, qui in hac inferiore regione corpus assumpsit nostro simile, nervis, ossibus, sanguine, et carne compositum, prout omnino homini usuvenit, quod cunctos dolores et mortem ipsam naturae nostrae constitutam exciperet. Atque hoc mysterio mundum servavit; atque hinc mundus Deum agnovit, et diabolus cum tyrannide sua cessavit.

Nosti, o Imperator, quanta nobis a Deo absentibus felicitas obtigerit. Etenim ob Filii eius passionem mors intercidit, diabolus fugit, turbati sunt inferi, fraudes daemonum evanuerunt, qui facti sunt invisibiles, paradisus reclusus est, vitae arbor apparuit, caelum in mundum transiit, mundusque caeli vicem occupavit; Deus homo in hac inferiore regione evasit, homo autem in sublime levatus est; caelestis gloria versari coepit in terra; et qui in sinu Patris erat, Mariae sinum incoluit; quique a Patre absque feminae cubili sub incomprehensibili mysterio genitus fuerat, eum peperit incarnatum Maria sine viri copula. Naturalium subiit legem passionum, quatenus certe peccato carent, nosque a turpi diaboli servitute expedivit. Si igitur Verbum caro factum est, Iohanne evangelista testante, idem vere quoque passum fuit, ut ex evangeliorum irrefutabili auctoritate constat, quae Deus tamquam petram immobilem in ecclesia sua collocavit.

Recta fides a Severo Antiochiae patriarcha scripta ad Dei amantem Anastasium imperatorem, cunctumque populum, quo tempore pulsus fuit in exilium perfidus Macedonius (1). Hanc autem fidei expositionem Imperator susceptam osculatus est, et in imperii tabulario reposuit, ut legis instar in ecclesia foret; et cuncta praevaricantium vocabula de medio nostri abstulit.

Credimus et confitemur iuxta sanctorum patrum nostrorum statuta, episcoporum videlicet ·CCCXVIII· Nicaeae congregatorum, quibuscum Spiritus sanctus sine dubio versabatur. Quippe hanc sacram veluti constitutionem maiores nostri, immo et antiquiores ·CL· patres Constantinopoli, nec non alii in urbe Epheso synodice adunati receperunt. Credimus unum esse Deum patrem, confitemur etiam unicum Dei filium qui nostri causa incarnatus est, quin se *a Patre* divideret aut separaret; sed ipsum esse eundem ante et post incarnationem. Credimus item in Spiritum sanctum vivificantem, personarum Trinitatem, subsistentiam perfectam. Ipsa in tribus personis est, quas inter nulla est diversitas gloriae ac splendoris, una natura, una essentia, una dominatio, una adoratio, una gloria, ut credentes fatentur. Confitemur Patrem in ordine paternitatis, nec eum esse Filium; confitemur Filium in ordine filiationis, ita ut non sit Pater; confitemur Spiritum sanctum neque ad paternitatem neque ad filiationem pertinere; sed tres esse permanentes personas, atque unamquamque personam in sua hypostasi subsistentem, atque has unam habere deitatem, unam na-

(1) Immo orthodoxus Macedonius II. constantinopolitanus, ab haereticis sede depulsus.

turam, unam voluntatem, unam virtutem et gloriam; atque in Trinitate nullam esse servitutem vel subiectionem, nullum esse alteri superiorem in ordine deitatis; nullum propria auctoritate alteri ceu servo imperare; sed cunctos pares uno honore qui proprius dominationis est ac deitatis, atque hunc esse splendorem omnipotentiae congruentem. Neque vel uno temporis puncto Pater sine Filio fuit, neque item uno temporis puncto Pater ac Filius sine Spiritu sancto extiterunt; sed perennis Trinitas est, aeterna, sine principio ac fine.

De divino autem Verbo ita credendum est: nempe duas esse generationes eius, unam de Patre a principio ineffabiliter sine feminae usu; alteram in plenitudine temporum de sancta virgine Maria, ratione item abstrusa et incomprehensibili sine ulla nuptiali copula. Hoc enim tantum comperimus: Verbum caro factum est, et nobiscum fuit, et illud vidimus oculis nostris, et manus nostrae contrectaverunt. Neque Pater Verbum tamquam unum ex angelis vel cherubim aut seraphim, sed ex sua substantia progenuit. Idem super omnem potestatem est ac dominationem atque omne nomen, quod appellatur sive in praesenti sive in futuro saeculo; aequale est Patri sanctoque Spiritui, atque in sua deitate sempiternum. Idcirco de Spiritu sancto dixit: ille de meo accipiet et annunciabit vobis. Hic Spiritus in Iordane supra Filium descendit sub columbae specie. Porro Verbum multiplicari peccatum inter homines videns, caelo se demisit, Virginisque sinum intravit, ubi corpus sibi conformavit. Neque vero Pater in visceribus fuit Virginis, ne quis diceret Patrem ad conditionem Filii transisse; sed Filius voluntate ac placito sancti Spiritus (quandoquidem una

est in Trinitate voluntas, ne quis forte dicat eum ab alio creatum, atque alienum a deitate factum) Filius inquam unus incarnatus est, et corpori accidentia pertulit quotquot peccato carent. Neque vero corpus de caelo detulit, sed id de virgine Maria suscepit Dei genitrice, sine nuptiali copula; eique corpori coniunctus est, unum quid secum faciens, unitate insolubili, inseparabili, imperturbabili. Hanc, inquam, fidem nos profitemur.

Haud porro quasi phantasma natus est, sed naturali prorsus veroque modo; ipseque Deus simul et homo est, ac veluti Emmanuel esu potuque absumebat quae ipsi ad epulandum apponebantur. Deinde propria voluntate ad crucem se contulit, ut Deo sacrificium pro nobis offerret. Cruci ergo est affixus, lancea latus eius perfossum, quamquam Deus esset homoque simul, et quidem unus non duo. Ipse immortalis est secundum deitatem, corpore autem mortalis; namque immortalis ac mortalis in unica conglutinati persona sunt. Insuper sanguis et aqua de latere eius profluxerunt, uti mystice fuerat dispositum. Haec autem omnia nequaquam ipse sola sua humanitate patravit, quasi haec ab unitate semet secrevisset; negamus id enimvero; sed deitas accidentia corpori voluntate sua excepit (1); quia ambae, deitas scilicet et humanitas, in unica ac sola unitate copulatae erant. Neque duae naturae invicem separatae sunt, quae iam fuerant unitae quod attinet ad res oeconomiam spectantes Verbi incarnati; neque

(1) Caveamus heic a monophysismo, quem egregie refutat divus Nyssenus apud nos Script. vet. T. VII. p. 288. col. 1. in Eustathii contra Severum opusculo: *si eos, inquit, criminatur qui naturae humanae adscribunt passionem, vult omnino passioni ipsam obnoxiam facere deitatem.*

divisibiles erant sive secundum virtutes deitatis proprias, sive secundum passiones humanitati congruentes, sed eae semper unitae fuerunt. Caveamus ergo a Photini (1) Sabelliique errore; etenim deitas sponte excepit accidentia humanitati (2), quoniam ambae in unica unitate consistunt, quin ulla in re separentur quae Verbi oeconomiam spectat, ne in corporis quidem passionibus, sed in perpetua unione permanserunt; ne forte credamus ut Photinus atque Sabellius, qui aiunt deitatem recessisse, solamque humanitatem fuisse crucifixam. Atque hoc aiunt, ut timorem quodammodo terroremque in deitatem invehant, Deumque afficiant iniuria per falsam suam sapientiam quae scatet blasphemiis. Nos vero haud blasphemiis indulgemus, sed incorporeum credimus factum esse corpus, impassibilem passum esse, et exsanguem participasse sanguini intemeratae Virginis, sicut ceteri nati infantes, prout sapiens dicit Paulus apostolus: debuit per omnia fratribus assimilari, ut liberaret eos qui morti perdiu erant obnoxii per salutarem necem suam secundum incarnationis rationem.

Age vero ne timeas, Imperator, neque universus populus audiens, quod Deus sit mortuus passusque pro nobis, neque te praevaricantium linguae merito praecidendae decipiant, qui aiunt: absit ut dicamus Deum Verbum esse mortuum atque sepultum. Nos etenim immortalem ipsum cognoscimus a resurrectione quae post tertiam diem accidit, postquam nobis quoque resurrectionem morte sua salutari comparavit. Nam qui mortuus est, idem est qui de morte surrexit. Quod si forte is qui semet suscitare potest, quia virtutis est Dominus,

(1) Cod *Pantas* heic et inferius.

(2) Rursus patripassianus error heic insinuari videtur et infra.

non existit, falsa utique est resurrectio. Quod si falsa resurrectio, inanis est fides nostra, similesque Iudaeis evadimus. Quod si mortuus carne tamquam homo non fuisset, nequaquam utpote Deus victoriam mortis abolevisset, neque Adami chirographum abstulisset.

Trinitatem quoque credimus, o Imperator. Quippe aiunt praevaricantes in sui cordis caecitate, quo tempore sancta Maria virgo divinum Verbum in carne peperit, Trinitatem factam esse quaternitatem. Sed enim nos haud ita loquimur; Trinitas enim Trinitas est, unus reapse est unus, lux magna videlicet invisibilis quae deitatis est propria. Qui vero quaternitatis mentionem fecerit, necesse est ut incrementum deitatis admittat, et unius inseparabilis dualitatem. Re tamen vera deitas corpori unita est, et in sanctae Mariae virginis Dei genitricis sinu homo facta est, caelum conscendit cum sua unione inseparabili, sedit ad Dei dexteram, atque ad iudicandum vivos et mortuos ventura est.

Haec est apostolica fides, firma fides, atque a praevaricantium blasphemiis aliena: unus baptismus intemeratus, Patris Filii et Spiritus sancti una divinitas et inseparabilis, sine qua nulla res exstitisset; una est natura, una essentia, tres inconfusae personae et imperturbabiles, unaquaeque in altera insidens; tres sempiternae personae cum suis proprietatibus, et unaquaeque per se subsistens. Haec est fides et catholicae ecclesiae traditio, secundum ea quae patres nostri apostoli definiverunt. Sic credimus, et sic docemus, et peregrinam impuramque praevaricantium doctrinam minime admittimus. Sed confitemur, Verbum quod factum est caro a Patre genitum esse, atque unum esse factum cum corpore de Maria virgine sumpto, praedito anima et mente, anima scilicet rationali et intel-

ligente. Corpus autem de Virgine sumptum, haud certis temporibus cum Verbo est, aliis autem illud deserit, sed cum ipso inseparabiliter et sine fine aeternaliter unitum est; neque umquam Verbum a suo corpore separatur, cum quo unicam unitatem constituit; neque est ullus temporis terminus quo ab eo dividatur, sed naturaliter ipsi unitum est absque divisione, aut abscessu, aut dissolutione, prout unio naturalis requirit. Est denique unus, non duo. Deus est naturalis et spiritalis, homo est naturalis et corporeus, duabus generationibus pollens, altera ex Patre ante omnia saecula sine feminae usu, altera ex sancta virgine Maria sine masculi opera. Hic unus atque idem est ante et post incarnationem, sine ullo ad personam eius additamento; et nunc unus est dominus noster Iesus Christus, in quo unam personam fatemur, unam naturam et operationem (1).

Haud tamen deitas ad se transtulit humanitatem, neque rursus haec sibi arripuit deitatem quasi aliquod regnum, atque ut prophetica dignitate fulgeret; sed Verbo dignanter placuit de Maria virgine Dei genitrice carnem sumere, et duas in unam solamque unitatem perfecti hominis iungere, in qua pacem operatur. Neque alterutra natura servit alteri tamquam famula, neque instar phantasmatis umbraeve languet; sed ambae naturae in una unita insolubili et inseparabili permanent. Neque hae duae naturae confusae fuerunt, ne forte evanescerent dum mortem gustarent; sed illa quae de morte eiusque qualitatibus triumphat, semet absque confusione adunavit cum ea, quae morti est obnoxia; fides autem unam spectat naturam (2) mor-

(1) En haeresis monophysitica et monothelitica.

(2) Immo prae oculis sit Nicetas de symbolo: *utrumque cre-*

tis victricem et expultricem, unam personam, unicum Dei filium dominum nostrum Iesum Christum, perfectum, sine defectu aut mutatione, liberum alienumque quovis phantasmate, divisione, confusione, vel translatione. Neque deitas in corpore otiosa est, nec corpus coram deitate evanescit; sed unaquaeque natura immutabiliter per se subsistit, natura autem immortalis facta est una cum ea quae per se mortalis est (1); illa quae omnem creaturam alit, atque omne corpus nutrit, facta est una cum ea quae famem sitimque perpetitur; natura immortalis facta est una cum ea quae perit, quae vulneribus obnoxia est, flagellis, calamitatibus, lassitudini ob viae itinera, corporis debilitati in gestanda cruce, gutturis ob sitim ariditati cum penderet patibulo, animae tristitiae usque ad mortem, lateris transfixioni militis manu, aquae et sanguinis scaturigini de vitae fonte post obitum.

Atque has cunctas passiones excepit Verbum in corpore quod minime est phantasticum, sed unum cum ipso Verbo secundum personam, unica nempe unitas personarum propria. Post unionem igitur cessat omnis divisio, neque iam dicuntur duae naturae (2), nec duae personae, nec duae operationes (3). Qui autem dualitatis unionem dicunt, ii mysterium sanctum corrumpunt. Ergo removeamus deinceps ab incarnato Verbo quodlibet dualitatis epithetum, quodvis phantasma,

dendus est Christus, Deus et homo, quia sicut homo ex passionibus agnoscitur, ita Deus ex divinis operibus manifestatur.

(1) Hem mira Severi contradictio! Legatur apud nos Eustathius Script. vet. T. VII. p. 290, qui demonstrat Severum duas dixisse re ipsa Christi naturas, unam vero secundum phantasiam, idque ut suos tantummodo adseclas deluderet.

(2) Est haec capitalis blasphemia sectae.

(3) Est hic consequens error.

*

mutationem ac divisionem. Nam phantasma mutationemque perfidus utique invexit Eutyches. Nos vero confitemur Christum unum cum sanctis suis accidentibus, quotquot nimirum peccato carent, unicum Patris Filium, nec non sanctum Spiritum, aequalem Trinitatem, unamque naturam; Filiumque esse passibilem secundum corporis mortalis naturam. Hinc quicquid deitati competit, non autem corpori, huic tantum attribuimus qui sponte pro nobis illud excepit. Quare et maximum miraculorum, et minima passionum, ad hunc unum pertinent qui dolores in corpore perfert, mortuos utpote Deus suscitat, sicuti scriptum est: tu es qui es. Atque hic unus, non autem duo, sine dubio in corpore obiit, sed idem de morte tamquam Deus triumphavit ac resurrexit, nobisque aeternam victoriam concessit, mortisque stimulum fregit, arborem denique vitae ostendit, videlicet resurrectionem. Gloria domino nostro Iesu Christo, eiusque Patri, et Spiritui sancto vivifico, nunc, et omni tempore, et per saecula saeculorum! Amen.

Severi scripta hactenus pauca e multis edidimus, ut nobis haeresis monophysitica in coryphaei scriptis apprime constaret. Sane numerosa et vivax haec secta est; a quinto enim Christi saeculo usque ad nos, Syriam, Armeniam, Mesopotamiam, Aegyptum, atque Aethiopiam occupat. Quamobrem Assemanus in suo de Monophysitis tractatu sedes horum episcopales plus centum et quinquaginta intra limites tantum antiocheni patriarchatus recenset. Nos vero in sexto ac septimo Scriptorum veterum voluminibus, clarorum auctorum scripta multa in lucem extulimus, quae hunc absurdum errorem ita refutant, ut his lectis nemo iam recto animo apud Monophysitas stipendia facere queat.

XIII.

NOTITIA EPISTOLAE THEOLOGICAE IOHANNIS PHILOPONI AD IUSTINIANUM IMPERATOREM

EX CODICE SYRIACO.

Inter eos qui virus monophysiticum toto pectore combiberunt, Iohannes philoponus fuit, alexandrinus philosophus nobilis, labore litterario, unde agnomen traxit, multisque editis libris clarissimus. Haeresim eius cum alia monumenta testantur, tum ipse auctor in Diethete famoso opere apud Assemanum in catalogo vatic. T. III. p. 252. cod. syriaco CXLV. *Eodem codice longa quoque epistola vel potius tractatus eiusdem Philoponi continetur ad Iustinianum imp., cuius Assemanus vix paucis verbis facit mentionem. Equidem totum id scriptum cognoscendum curavi, in quo sumptis plurimis de philosophica schola ac naturali ratiocinio sophismis monophysiticum dogma tuetur Philoponus, qui tamen theologiae laudem non adsequitur, quae solidiore ac tutiore via, et sacrorum librorum patrumque auctoritatibus communita, incedere solet. Sed nulla in re peius Philoponus labitur, quam ubi divinas personas cum ipsarum natura ita confundit, ita aliud pro alio sumit, ac tantopere vocabulis abutitur, ut triplex deitas apud eum suboriatur; quare etiam tritheitae infamiam adeptus fuit. Scopus autem Philoponi est, Iustiniano suadendi, ut peremptorio edicto locutionem* duarum Christi naturarum, *itemque* Christi in duabus naturis, *vetet. Itaque longis adsentationum ambagibus viam sibi ad Caesaris gratiam sternit, et per se pronum ad theologicas definitiones*

Iustiniani animum vehementer impellit. Sed frustra fuit; etenim Iustinianus ab hoc errore longe abhorrebat, quod eius luculentus mirificusque tractatus ad monachos alexandrinos, apud nos Script. vet. T. VII. p. 292. seqq. demonstrat, ubi postremis duobus anathematismis p. 312, Monophysitas quasi ancipiti gladio iugulat. Atque hunc Iustiniani tractatum sine dubio prae oculis Philoponus habuit, eique per praesentem epistolam adversatus est; qua scripta, incolumitati credo suae ac tranquillitati Philoponus caute consuluit, dum a Iustiniano Constantinopolim accersitus, ut ait in exordio epistolae, senectutem suam et infirmitates ac hiemem excusavit; neque enim laetum itineris exitum habiturus erat. Hac a nobis summaria imagine epistolae exposita, dabunt hanc veniam lectores, quominus longo Philoponi scripto nostras paginas oneremus, quibus totidem subtexendae forent, ut singillatim id ipsum refutaremus.

XIV.

In huius Spicilegii tomo VI. p. XLII. et seq. edidi aliquot Henrici ·VIII· Angliae regis litteras. Nondum tamen tunc videram in diverso codice egregiam aliam magnique momenti epistolam, qua idem Rex de Luthero, eiusque nascente haeresi, apud illius fautores Saxoniae Duces, graviter admodum, quamquam salva reverentia Principum, expostulat. Atque huius ad Germaniae Principes admonitionis suae meminit ipse Henricus apud nos tom. praed. p. XLVII. Insuper inter ineditas Hieronymi Aleandri litteras unam comperi, scriptam nomine Leonis ·X· PP., qua respondetur illi epistolae Regis ad Leonem, quae est apud nos tom. dict. p. XLVIII. Utramque igitur et Henrici contra Lutherum, et Leonis ad Henricum, in huius voluminis appendice libenter colloco. Nam illae quidem Henrici epistolae, quae sunt apud Martenium Monum. vet. T. III. p. 1296. et seq., nihil ad has vaticanas adtinent.

CONTRA LUTHERUM EIUSQUE HAERESIM

EPISTOLA SERENISSIMI REGIS ANGLIAE AD ILLUSTRISSIMOS SAXONIAE DUCES PIE ADMONITORIA.

Illustrissimi atque excellentissimi Principes, clarissimi domini cognatique nostri longe omnium carissimi, sinceram salutem ac felicium successuum assiduum augmentum.

Si quid fors incideret, in quo admoneri me profuerit, Cod. vat. 6559. f. 73.
pro animi vestri comperta bonitate certissimam spem concepi, admonitionis vestrae beneficium nunquam mihi defuturum esse. Quam ego rem, cum animum erga me vestrum ex meo erga vos affectu metiens indubie mihi persuaserim, ingratus admodum ipse mihi videar, si in ea re, quae non ad honorem modo vestrum, sed fortunas quoque vehementer spectat, ego vicissim vos admonere negligerem. Quid enim ad vos, et tam potentes et in Christi cultum tam devotos Principes, aut propius spectare potest aut debet movere vehementius, quam cohibendae factionis istius lutheranae studium, qua nullam unquam in terris nocentiorem malus invexit genius, aut quae maiorem perniciem sit illatura propediem, nisi boni piique omnes obstiterint, et in primis qui plurimum et possunt et debent Principes? Non quod Lutherum talem censeam, qui viris probis aut prudentibus possit imponere, aut ea quae scribit nesciam esse tam impia ut ea bonorum omnium aures exhorreant; sed quod sciam nunquam defuturam improborum hominum colluviem, quibus ineptissimus quisque aptissimus est magister; et ut quicque maxime nascitur absurdum, ita maximo exceptum plausu, summo studio et contentione propagent.

Nam quod ad ipsum pertinet Lutherum, olim visus est nec indoctis nec malis hominibus, ut multa parum bene, ita quaedam non omnino male scribere. Verum ita statim profecit in peius, ut ilicet multi perspexerint, quicquid unquam aut plausibile scripsit aut tolerabile, non alio fecisse consilio quam ut meliorum ostentatione viam pararet peioribus, et praelito melle venenum redderet vendibilius. Quam rem successione perpetua nocentiorum semper dogmatum adeo testatam reddidit, ut hodie neminem esse usquam putem, cui scintilla ulla maneat aut in capite cerebri, aut pietatis in pectore, qui non eum totum cum suis insaniis ex animo prorsus eiecerit. Etenim initio coepit utcumque disputare, deinde irasci, paulo post incendi, postremo furere; iam in eo demum libro quo debacchatur in me, furias ipsas furore ac vesania superare. Quo in libro si quid scripsisset usquam, quod rem videretur attingere, si quid omnino mentis miscuisset amentiae, si quid non absurdum prorsus effluxisset ei, quale vel casu solet mente motis excidere, quamquam non admodum decorum puto ita me comparare, ut cum homine tali publice componar ac disputem, tamen cum rex et propheta David non censuerit indecorum ante arcam foederis nudum saltare cum quolibet, ipse certe non eram quemquam habiturus indignum quocum in gratiam religionis pro fidei veritate dissererem. Nunc vero cum nihil ad rem respondeat, sed rationum loco proferat mera deliria, alios cum illo congredi, nec inhortabor nec prohibebo; ipse certe non committam ut cum insaniente insaniam.

Quisquis et aequus lector et prudens libellum meum cum illius libro perlegat, is profecto facile iudicabit, iam nunc Lutheri naeniis satis superque responsum

esse. Quod si quis illi tam inique faveat ut mea verba non sustineat inspicere, aut tam insigniter instupescat, ut collatis utrimque locis, non sentiat rem adhuc responso non egere, huic nulla unquam responsione satisfecero. Nam quî queam illis, qui nihil aut velint legere, aut possint intelligere, praeter Lutheri scurrilia iurgia? Qui cum interim rem ad istum tractet modum, magna me affecit voluptate; siquidem initio certus eram rem quidem, quam tuendam susceperam, suapte natura esse inexpugnabilem, adversus quam nec inferorum portae possint praevalere, sed imbecillitatis meae conscius, de meis tamen armis dubitabam. At nunc effecit hostis, ut orbi toti inclarescat, alterum nempe, aut ipsum esse prorsus imbecillum, aut meas rationes admodum valuisse, quas contra nihil invenire potuerit, praeter insulsa scommata et prorsus insana convicia. Quibus si me commoveri putet, egregie profecto fallitur. Etenim quantumvis ille me vocet insanum, vocat opinor plus millies, nunquam tamen tam insanus ero, ut aegre feram quod insanus vocer ab insano. Itaque aut mea me fallit opinio, aut istius in me ac regium nomen contumeliosa spurcitia, vos haud paulo magis quam me, viri clarissimi, commovet. Solet enim generosos animos nobilium reverentia quaedam inter se colligare, qua vel in hoste cum oderint ac persequantur hominem, personam tamen honorent ac reverentur officium. Nec generosus fere quisquam invenitur usquam tam incivilis ac barbarus, qui vel inimicitiis ullis adduci possit, ut scurrilem in modum linguae petulantia conspergat nobilem. Tantum abest ut quisquam ea nobilitate ac generosa virtutis indole, qua mihi persuasi quemlibet esse vestrum, aequo animo ferat et principis et amici nomen vilissimis nebulonibus haberi ludibrio.

Quod meum de vobis iudicium vel is affectus confirmat, in primis quem in memet ipse sentio. Nam cum ne tantulum quidem me tetigerint omnia quae blateravit in me, tamen perquam indigne tuli blasphemias illas, quibus augustum Caesarem et ceteros Germaniae Principes virulentissima lingua perfudit, quos omnes in eius ipsius libelli frontispicio, quem in meum evomuit, probro contumeliosissimo proscindit. Wormatiam, inquit, ingressus sum, etiam cum scirem mihi violatam esse a Caesare fidem publicam. Nam didicerunt Principes Germaniae, olim de fide laudatissimae gentis, nunc in obsequium idoli romani nihil magis quam fidem contemnere, in perpetuam nationis ignominiam. Haec tam virulenta in Caesarem ac Principes germanos convicia, quam falso ac flagitiose mentiatur os illud impudens ac mendaciorum fons perennis, vel illud indicat, quod hodie, nisi mentiretur, qui posset ita mentiri non esset. Quis enim dubitat quam facile potuisset meritum reportare supplicium, si Caesar id voluisset ac Proceres? Sed quis illud, non dico Caesar aut Procerum quisquam, sed vel honesto loco natus christianus ullus, in animum potuisset inducere, ut fidem violaret publicam, ut illum quamquam publicae fidei publicum hostem, per perfidiam tolleret, ut odio (quod aiunt) nocentis perderet innocentiam? Istud cum non Caesar promissi observantissimus, non Procerum aliquis, quibus nihil antiquius honore ducitur, non honesto loco natus christianus quisquam, ut qui nihil non censeat posthabendum fidei, potuisset unquam cogitare, quis unquam vivit vere germaneque Germanus, qui ferre possit nebulonem fraterculum, quae perpetuam infamiam inurerent nationi germanicae, ea tam impudenter quam

mendacissime non cuipiam sui simili Germano, sed Proceribus omnibus Germaniae, atque ipsi quoque Principum germanorum Principi per convicium exprobrare Caesari? Demiror talia, si Germani ferant in isto. Nos profecto quanto magis indignamur, in tales ac tantos Principes tantum licere fraterculo, tanto minus eius mendaciis movemur, quae partim latine quae legimus, partim germanice quod audio, furiosus eructat in me. Nam si quid maledictis illis immiscuit, de cuius veritate poterat quisquis rem non nosset, aliquid fortasse dubitare, nunc in animum succurret lectoribus nihil illius maledicentiae credendum, cui perpetuum institutum esse videat, de Principibus prorsus omnibus atque ipso etiam Caesare mentiendi.

Neque enim istud Luthero novum est, omnia comminisci ac simul fingere, quibus in odium Principum scelerate concitet atque extimulet populum. In quod negotium promovendum, sceleratorum hominum catervam iamdudum contraxit atque adiunxit sibi. Itaque nulla unquam factio fuit seditiosa, pestilens, nefaria, quae sic religionem omnem tollere, leges omnes obruere, mores omnes bonos corrumpere, res publicas omnes evertere machinata sit, ut nunc ista coniuratio lutherana, quae et sacra omnia profanat, et profana contaminat; quae ita Christum praedicat, ut eius sacramenta conculcet; ita Dei bucinat gratiam, ut arbitrii libertatem destruat; ita fidem extollit, ut operibus bonis detrahat, et invehat peccandi licentiam; ita misericordiam sublevat, ut iustitiam deprimat, et malorum omnium causam inevitabilem non in Deum aliquem malum, quod Manichaei saltem commenti sunt, sed in unicum illum vere bonum reiciat. Quae cum ad hunc modum impie divina tractarit, velut e caelo deiecta

serpens virus effundit in terras, in ecclesia commovet dissensionem, leges omnes abrogat, magistratus omnes enervat, laicos in sacerdotes concitat, utrosque adversus Pontificem, populos adversus Principes; nec aliud plane molitur, quam ut (quod omen avertant Superi) Germaniae primum populus tamquam pro libertate bellum indicat Proceribus; deinde ut Christiani contra Christianos, spectantibus et irridentibus Christi hostibus, pro Christi fide ac religione depugnent.

Quod si quis forte non credat, ab uno homine nihili, tantum unquam periculi nasci posse, huic in mentem velim subeat Turcica illa rabies, quae cum nunc tot per terras et maria se diffundens, maximam ac pulcherrimam totius orbis partem occuparit, a duobus olim nebulonibus sumpsit initium. Ut interim taceam factionem Bohemicam, quae et ipsa, quis nescit, e quam exiguo vermiculo, in quam immanem draconem, haud absque magno Germaniae malo, quam propere adolevit? Ita proclive est malam segetem nullo demetente crescere! Nec ullus unquam socio caruit ad nocendum; neque tam imbecillus est quisquam, quin securo possit ac tamquam lusuram spectanti, lethale vulnus infligere. Quae res quo minus contingat in praesente negotio, Principibus omnibus adnitendum est. Adnitentur autem, si rem pro levi non habeant, nec existiment dumtaxat esse scholasticam, sed cum et Dei res agatur et hominum, dignam intelligant cui christiani Principes admoveant manus.

Quod ut nullius non incumbit officio, ita potissimum incumbit, cognati carissimi, vestro; ut qui et proximi estis periculo, et facillime (ut ferunt) potestis obruere, si nascenti malo propere eatur obviam, prius quam et improbi per malitiam, et simplices per er-

rorem, in eum numerum et robur coaluerint, ut facile cohiberi non possint. Cui ergo rei prospecturos vos pro vestra prudentia, et in Christi fidem observantia, non dubito. Nam cum nulla possit haeresis exoriri, quam vos fideles in Deum Principes, non vehementer aversemini, lutheranam tamen fieri non potest, ut non praecipuo quodam odio prosequamini. Nam licet homo vaniloquus non uno loco scribat se in hoc electum a Deo, ut hanc doctrinam quam ille solam vocat evangelicam, ad istum quo coepit modum spargeret ac praedicaret in mundo, vestra tamen prudentia facile deprehendit, nec illum afferre quicquam cur evangelica verba credatur melius intellexisse, quam veteres ecclesiae sanctae sanctos doctores omnes, quorum iste interpretationes omnes abigit atque contemnit prae suis; et multa non ignoratis per manus ab Apostolis olim tradita, ubilibet hactenus observata perpetuo, quorum iste nihil blasphemus non exsibilat. Ad haec animadvertatis, spiritus hominis arrogans, mendax ac maledicus, quam longe absit a Spiritu Dei sancto, qui solet electis suis inspirare veritatem, lenitatem, modestiam, et cum sui contemptu charitatem ac reverentiam omnium. Postremo doctrinam eius videtis praetextu praedicationis evangelicae, meram esse wycliffiicam, a quo vos, cognati carissimi, non dubito toto pectore prorsus abhorrere; ut quam germani Proceres, atque in primis ut audio progenitores vestri, vehementer elaborarunt extinguere, sed quoniam serius aliquanto coeperant, prorsus exterminare non poterant. Hactenus tamen profecerunt, ut eam velut perniciosam beluam intra quosdam Bohemiae terminos velut in speluncam clauderent atque cohiberent.

Quae cum ita sint, dubitare profecto non possum,

sedulo provisuros vos, ne quam vestri maiores beluam concluserunt, ea vestra incuria sic repetat exitum, ut per Saxoniam prorepens, totam pervadat Germaniam, et afflatu noxio inferum eructans ignem, illud spargat incendium, quod Germani toties voluerunt sanguine suo restinguere. Qua in re quamquam pro vestra bonitate vos tam propensos esse non ambigo, ut neque monitore vobis, neque hortatore sit opus, ego tamen pro meo in vos affectu me continere non potui, quin ad voluntatis vestrae pronitatem et admonitiones meas et hortationes adiungerem. Etenim cum nullum Principem tam alienum putem, quin ei mihi videar id officii debere, ut qua in re possim, eius honori consulam, vobis viri dignissimi, ut id impensius exhibeam, cognati quaedam sanguinis necessitudo constringit; quandoquidem intelligo serenissimos Maiores vestros e stirpe clarissima Regum Angliae progenitorum meorum esse progenitos; quae communio stirpis et societas sanguinis sic animum meum afficit erga vos, ut nihil aut commodi prorsus aut incommodi vobis possit accedere, quod ego mihi vobiscum non existimem esse commune. Quam rem quo magis mihi persuasi, eo magis ac magis vos admonere cogor et hortari, immo per omnia vos obsecrare sacra, ut quam maxime potestis mature detis operam, ut execrabilis ista Lutheri secta cohereeatur, absque caede cuiusquam (si fieri potest) aut sanguine. Si id quo minus possit, pervicax obsistat audacia, quoquo modo cohereeatur. Tamen neque permittatis ut leges, magistratus, principes, respublicae, divina denique atque humana omnia sic assuescant paulatim vilescere, conculcari, proteri, ut invalescentibus improbis, mussitantibus bonis, eo tandem res perveniat, ut alteri perversae malitiae, alteri

praeposterae patientiae, Deum aliquando vindicem atque ultorem habeant. Cui periculo si vestra occurrit industria, pacatae patriae, discussi schismatis, restitutae concordiae, religionis cultae ac perpurgatae, et apud homines eximiam laudem, et apud Superos immortalem gloriam consequemini. Valete, viri clarissimi.

Litteras has obsignaturo mihi venit in mentem, Lutherum in suis adversus me naeniis excusare se, quominus ad reliqua respondeat impediri, transferendo Biblio. Visum est igitur hortari vos, ut omnium rerum maxime provideatis ne id permittatur facere. Nam ut bonum esse non negem, in quavis lingua legi Scripturam sacram, ita certe periculosum est ex versione legi, cuius mala fides fidem facit omnibus, id illi studium esse, ut bene scripto male vertendo pervertat, ut populus ea se legere putet in Scriptura sacra, quae vir execrabilis ab execrandis hausit haereticis. Iterum valete, viri serenissimi atque animo meo longe carissimi.

Leo ·x· Pont. Max. Henrico ·viii· Angliae regi.

Quanto honestiores et promoveri digniores personas Maiestas tua nobis commendat, tanto nobis gravius est non posse tuis et earum votis pro re et loco satisfacere. Non erat nobis ignotum dilecti filii Cuthberti Tunstali in episcopum londoniensem nominati et electi excellens eruditio, summa vitae integritas, et rerum tractandarum experientia, quantumque Maiestati tuae ob eas causas gratus esset non ignorabamus, adeo ut vel sponte nostra data occasione fuerimus hominem ad altiora evecturi. Sed quominus ex animi nostri sententia istam nominationem et electionem prius quam

Cod. vat. 8075. f. 25.

ad Urbem accesserimus confirmaremus, id idem in causa fuit quod expeditioni abbatiae divi Albani obsistere, Maiestati tuae significavimus. Quod tamen in manu nostra fuit, ut cognoscat Maiestas tua nihil nobis esse antiquius quam ut sibi quem pro tempore possumus morem geramus, volumus quod cum gratia Maiestatis tuae liceat, et per hasce breves nostras Cuthberto concedimus, ut quamvis per bullam plumbeam talis expeditio facta non sit, proventus tamen, fructus et redditus omnes episcopo debitos, ceteraque emolumenta tam spiritualia quam temporalia ex eodem episcopatu libere recipiat; et ad hanc nostram voluntatem et concessionem impediendam statuta, ordinationes, privilegia, consuetudines ecclesiae londoniensis, praescriptione, iuramento, ultima fundatorum voluntate firmatas, nihil pro hac vice roboris aut vigoris habere decernimus, et omnino declaramus. Ita tamen ut ante tres menses exactos, post nostrum ad Urbem adventum, istius episcopatus provisio in consistorio nostro et per plumbatas litteras rite expediatur. Verum quia ad huius nostrae concessionis effectum gratia et auxilio Maiestatis tuae Cuthbertus indigebit, etsi hominem ob egregias suas virtutes Maiestati tuae commendatum non dubitamus, tamen ut qui liberalitatem tuam in maiori re sensit, et in hac parva sentiat, cum quo possumus maximo paterno affectu commendamus, ne propter nostram ab Urbe absentiam, temporum culpa aliquanto diuturniorem, tantum incommodi et dispendii patiatur.

EXPLICIT VOLUMEN.

Romanum.

18143

Mai, A. - Spicilegium Romanum

